
G * B











IN GEORGII BVCHANANI PARAPHRASIN PSALMORVM

Collectanea


NATHANIS CHYTRÆI.

Quibus vocabula, & modi loquendi tam poëtici, quàm aliàs difficiliores, & minùs vulgo obuii, perſpicuè explicantur:

In gratiam eorum, quibus huiusmodi, vt videntur, minuta inueſtigare aut non libet, aut non vacat.



HERBORNÆ
Typis Chriſtophori Coruini.
CIↃ IↃ XCII.





NOBILISSIMO

FORTISSIMOQVE VIRO, D. IOACHIMO VAN DER LVHE, Domino hæreditario in Ilovv, Consiliario & Marſcalco Megapolitano, & territorii Dobertinenſis Præfecto, Domino & patrono ſuo colendo S. D.

HActenus ante alias Bucanani buccina vatis
Præcipuis placuit nobilitate viris:
Et meritò. quid enim grauius, quid dignius illa
Dauidica Auſoniis plectra ciere modis?
Sed tamen interdum ſtudium curſumq́ legentis
Obſtructis quædam ſunt remorata viis:
Illorum inprimis, quos magna negotia rebus
Non adeò obſcuris ſæpe vacare ſinunt.
Hæc ego lectori, ſi poſſim, obſtacula conor
Demere, & appoſitis pandere clauſa notis.

Addo etiam diuersa mele, quibus ora resoluas
Vnius in laudes obsequiumq́ Dei,
Dauidis exemplo; constans cui forte secunda
Aduersaq́ labos ista sonare fuit.
Tu patriæ decus, & nostris patrone Camœnis,
Hæc placida accipito dona pusilla manu;
Dona pusilla quidem, chartæ si pondera libres,
Sed tamen æterni maxima laude Dei.

Nathan Chytræus.



LECTORI CANDIDO NATHAN CHYTRAEVS S. D.



CVm ante quinquennium de lectionibus & exercitiis Scholæ nostræ puerilis deliberationes instituerentur, inter alia etiam placuit prudentissimis Scholarchis, vt Paraphrasis Psalmorum Buchanani in prima classe proponeretur: vt nimirum ex ea pueri nostri, præter veram pietatem, & linguæ Romanæ puritatem, varias etiã carminum, maximè Lyricorum, dimensiones animo paulatim comprehenderent. Mihi verò sententia illa Scholarcharum nihil tum fuit acceptius, nihil iucundius. Iampridem enim sacratissimum illud, quod vocant, Spiritus sancti Enchiridion, vnà cum omnibus piis, & ipse maximi feceram: & aliis quoq; meæ fidei commissis & commendaueram, & nõnunquam etiam priuatim domi meæ iisdem explicueram: vt eo quoque nomine facilius mihi esset, voluntati illorum laudatissimæ morem gerere. Id quod etiam sub ipsa Scholæ primordia statim sum aggressus. Primò autem in ea tractatione hoc potissimùm egi, vt auditores mei post breue Psalmi cuiuslibet argumentum verba & phrases poëtæ, grammaticè à me explicatas, rectè intelligerent; & metaphorarum, aliorumq; ornamentorum poëticorum

rationem, rudi, vt aiunt, Minerua expoſitam vtcunque viderent. Exiſtimabam enim verborum vi rectè percepta, ad rerum quoq; & ſentẽtiarum cognitionem aditum illis fore faciliorẽ: & tum quoque illos eò maiore cum fructu ad modulationem eorundem Pſalmorum, quam à pſittacorum cantu diſcrepare omnino oportet, eſſe acceſſuros. Et hinc quidem nata ſunt primò Argumenta hac editione in ipſo Buchanano ſingulis Pſalmis præfixa: deinde Collectanea illa qualiacunque, quæ, bono typographi conſilio, in hunc peculiarem libellum congeſta ſunt, vt, qui vellent, ſeorſim etiam ea ſibi comparare poſſent. Interea, vt laudum quoq; diuinarum nunquam nobis aut materia aut opportunitas paulò pòſt deeſſet; egi cum primario Scholæ noſtræ Cantore, M. Statio Olthouio Oſnabrugenſi, vt triginta diuerſis, quæ in Buchanano continentur carminum generibus, Melodias certas, partim iam olim ab aliis vſurpatas, nonnullas etiam à ſe ipſo modulatas, adiungeret. In quo quidem ille mihi, & ſcholaſticæ iuuentuti, non ſolùm gratificatus eſt libentiſſimè, verùm etiã fide & induſtria ſua effecit, vt breui admodum tempore auditores noſtri illas ipſas Melodias quatuor vocibus expeditè cantitare poſſent. vnde etiam illud eſt conſecutum, vt ſingulis horis, ſub initia & finem exercitiorum ſcholaſticorum, primani noſtri ipſi inter ſe Pſalmum aliquem

quatuor

quatuor vocibus, ſine notis, quas vocant, Muſicis canendo, aliquoties totum Pſalterium iam abſoluerint; atque ita (quod mihi certè auditu iucundiſſimum eſt) laudibus & celebrationibus nominis diuini multoties quotidie repetitis locus gymnaſio & domicilio noſtro aſſignatus vndique reſonet. Quin etiam crebra illa eorundem Pſalmorum iteratione factum eſt, vt, cæteris ingenioſiores qui ſunt, bonam Pſalmorum præcipuorum partem memoria circumferant: eoſque ſi opus ſit, ſine libro recitare queant. Cùm autem multi pii & eruditi morem hunc noſtrum magnopere probarent; exiſtimarentq; alias quoque, ſi quæ vellent, Scholas huius boni participes eſſe faciendas: non equidem inuitus conceſſi, vt tam Collectanea hæc mea, quàm Melodiæ ipſi Pſalterio Buchanani paſſim inſertæ, cumpluribus communicarentur: atq; ita aliis quoq;, non ſolùm exercitiorum veræ pietatis & Muſicæ religioſæ, verùm etiam linguæ Latinæ pleniùs intelligendæ hoc modo præberetur occaſio. Cum quouis enim veterum puritate & elegantia hoc poëma certare poſſe, cùm inter eruditiſſimos ferè in confeſſo ſit; verboſiùs id hoc loco demõſtrare non eſt opus. Sicuti etiam de præſtantia Pſalmorum Dauidicorum pluribus hîc, in re ſcil. omnibus verè piis notiſſima, nõ libet diſſerere. Vnum hoc addo, me in gratiã & vſum auditorũ quoq; meorum Academicorum, quibus hoc tempore

Odas Horatii explico, curaſſe, vt eorum etiam carminum Horatianorum genera, quibus non eſt vſus Buchananus, Melodiæ certæ aliis ſubiungerentur, vnà cum carminis Phalæcii, aliàs quidem vſitatiſſimi, ſed tamen neq; à Buchanano, neq; ab Horatio vſurpati, harmonia. Poterũt igitur huius qualiscunq; editionis adminiculo, qui volent, & Buchanani, & Horatii, vt alios interim taceam, Odas omnes, quatuor vocibus decantatas, eò faciliùs familiariter ſibi notas facere, & totas etiã memoria paulatim cõplecti. vtrumque autem horũ poëmatum eo honore & opera verè digniſſimum eſſe, oro vt iuuentus ingenioſa certò ſibi perſuadeat. Nam de Buchanano nemo, modò verè pius & mediocriter eruditus ſit, vnquam dubitabit. De Horatianis quoque plerisq; aliter iudicare non poterunt, quicunq; vnius aut alterius ſaltem Odæ, tum in ſententiis & rebus ipſis, quas tractat, multiplicibus grauitatẽ & dignitatem; tum in verbis quoq;, quibus vtitur, lectiſſimis, venuſtatem, gratiã, & acumen vtcunq; perpenderint. Rei enim ignotæ, aut non ſatis intellectæ, nullum deſiderium eſſe, nec mirum eſt, nec nouum. Sed de his ſedulos Horatii auditores admoneri minimè opus eſt. Qui ſine vllo dubio ex ſingulis noſtris prælectionibus hoc vnum (vt alias eius laudes alibi vberiùs expoſitas hîc prætercam) quod de Thucydide prædicat Cicero, de Horatio quoque non minùs verè vſurpari poſſe animad-

animaduertêre, Eum ſcilicet argutè dicēdi artificio facilè omnes vincere, qui ita creber ſit rerum frequētia, vt verborum propè numerum ſententiarum numero cōſequatur. Quod quidē ipſum ſcriptionis genus minimè vulgare, aut à quibuslibet communis notæ ſcriptoribus adhibitū eſſe, vel adhiberi etiā potuiſſe, res ipſa intelligentibus ſatis loquitur. Bene igitur ſtudiis ſuis conſulent adoleſcentes ingenui, qui hoc quoque auctoris optimi penitus addiſcendi, & memoriæ infigēdi adiumentū, & id quidem, non ſolùm nulla cum moleſtia, ſed etiam iucundiſſima cum voluptate coniunctum, nō aſpernabuntur. Ad Collectanea verò hęc noſtra quantū ſpectat, non deerunt fortaſſe, qui illa tanquam puerilia prorſus faſtidiāt: ſicuti ego ipſe quoq; puerilia ea eſſe, & pueris potiùs, quàm criticis illis ſerpente Epidaurio oculatioribus à me ſcripta, ſeu potius collecta, palàm fateor, & præ me fero. Quanquam idem ego non dubitem, adultiores quoq; nōnulla cognitu ſibi non inutilia hîc inuenturos eſſe. Inprimis verò labor ſingula inquirendi minuetur iis, quibus grauiſſimis Reipub. maximè negotiis implicitis, huiuſmodi minutiis tempus impendere nec vacat nec licet. Illorū igitur poſt auditores noſtros commodis potiſſimùm me hîc inſeruire, & occupationibus gratificari voluiſſe, cenſores illi ſciant: & ſi ipſis hac opella opus nō eſt; eâdem tamen alios nonnullo cum emolumento ſuo frui

non iniquè ferant. Ad symphonias quoque istas faciles & simplices quod attinet, Momi itidē fortè non pauci, qui scilicet in Musica tantùm pruritus aurium rationem putant habendam, se offerent, qui multa in iis carpent, multa reprehendent, multa etiam extremè deridebūt, sicuti hoc præsertim seculo, & his moribus, rideri carpique etiam rectissima possunt. Iis autē ego responsum volo, non nos ideo hæc in publicum emittere, vt ômnib⁹ ea obtrudamus. Esset enim hoc iniquissimum: neque nobis ab aliis hoc iugum imponi patienter ferremus. Liberū igitur hîc esto suum cuiq; iudicium; potestas quoq; his ipsis vel vtendi, vel non vtendi, vel meliora etiam in eorum locum substituendi planè liberrima: ita tamen vt illis, qui melioribus destituuntur, vnà nobiscum his vtendi facultas minimè sit interclusa: donec limatiora & perfectiôra illa ab aliis proferantur. Bene vale lector candide, & puerilia & minuta hæc boni consule, donec cùm alia nonnulla, tum inprimis libros XII. Fastorum Ecclesiæ Christianæ, iampridem quidem non sine magno diuturnoq; labore à me absolutos, & sparsim quoq; hîc & alibi meis ferè impensis impressos; sed tamen idoneo typographo, qui vno volumine eos coniungeret, hucusque destitutos, communicare tecùm aliquando possim. Quod quidem quando futurum sit, is, cui omnia nota sunt, nouit. Vale iterum. Rostochio Idib. Nouemb. Anno 1584.

COLLE-



COLLECTANEA, QVIBVS VOCABVLA POETICA, ET MODI LOQVENDI in toto Psalterio Buchanani difficiliores, & minùs aliàs obuii, perspicuè explicantur.

DE PARAPHRASTE IPSO Georgio Buchanano.

VT igitur more in Scholis vsitato de auctore quoq; huius Paraphraseos aliquid dicamus, & quidem tantum, quantum in præsentia de eo inuestigare nobis licuit; paucis sic habe. Patria eum Scotum esse, & vbi Scotia sita sit, omnibus, vt puto, constat. Ipsum verò Buchanani nomen vnde sit, non ita liquidò omnibus notum esse puto. Videtur enim id ab ea parte Scotiæ fortè sibi aut maioribus suis natali accepisse, cuius ipse historiæ suæ Scotiæ libro primo his verbis meminit: Ad plagam Septentrionalem proxima Marriæ est Buchania, Dona fluuio ab ea diuisa. Ea omnium Scotiæ regionum longissimè se in mare Germanicum exporrigit, pascuis, ouiumq; prouentu admodum felix, cæterisq; commodis ad vitam necessariis sibi sufficiens. Buchaniam quoq; sic dictam asserit libro eiusdem historiæ V. quòd magnum è bubus

vectigal penderet. Interea tamen ex Scotis quibusdam cognoui, paraphrasten cognomen hoc non tam à patria, quàm à parentibus & maioribus suis gentilitium accepisse. Hoc ergo in medio relinquo. Idem Buchananus, vt videtur, suiipsius mentionem facit sub finem libri XIV. *Anno, inquiens,* M.D.XXXIX. *Lutheranismi suspecti complures capti sunt. Sub finem Februarii quinq; cremati, nouem recantârunt. complures exsilio damnati. In his fuit Georgius Buchananus, qui sopitis custodibus, per cubiculi fenestras euaserat. Ac tum credibile est, eum diuturnam illam viginti quatuor annorum peregrinationem, cuius in prooemio historiæ suæ meminit, aggressum esse. In Lusitania quidem aliquandiu eum peregrinatum, & postea Tolosæ & Lutetiæ satis longo tempore substitisse, & vtrobiq; bonas quoq; literas professum esse, ex eius poëmatibus apparet. Inde in patriam reuersus, Iacobo* VI. *Scotorum Regi erudiendo & informando est præfectus. Quo quidem in munere quanta cum fide, integritate & seueritate sit versatus; cùm alia multa, tum verò inprimis indicio esse possunt præfationes, varijs ipsius opusculis, tam poëticis, quàm politicis præfixæ, quibus ille adolescentem regem ita familiariter, grauiter & liberè quoq; sui officii subinde admonet, & à flagitijs deterret; vt eo in genere vix quidquam me simile vidisse, aut legisse ingenuè cogar fateri. Imò ne postea quidem eum à priori illa sua erga Regem Scotorum* παῤῥησίᾳ *desciuisse, testatur narratiuncula Ioh.*

Metelli

Metelli Sequani V.C L.*ex ore filii fratris Buchanani excepta, & bona fide perſcripta ad eloquentiſsimum Oratorem D. Andream Dudithium, mihiq; nuper ab amico meo integerrimo D. Iacobo Monauio, patritiorum Bratiſlauienſium ornamento, candidè communicata, quæ talis eſt:*

Quoniam mihi quidam retulit, te ex neſcio quibus hauſiſſe, Buchananum à Scotiæ Rege ſublatum, referam quidnam hîc mihi, ea de re interrogatus à me ſedulò, illius fratris filius reſponderit, qui morienti adfuit. Patruus, inquit, meus, erat naturâ ſalſus & mirè vrbanus. Cùm videret Regem omnia omnibus, quæ peterent, concedere: vt Regem, cuius erat præceptor, hac parte emendaret, Regem adijt, cum duobus libellis ſupplicibus, in quibus quæ ſtatuerat petijt. In quorum vno ſupplex poſcebat; Regem ſe, permiſſu Regis Scotiæ, cum libera regni adminiſtratione, ad quindecim dies fore. Rex, cùm ille verbis non exponeret; ſed, quæ in libellis continebantur, poſceret; petenti annuit: & vtriq; libello manu propria ſubſcripſit. Buchananus egreſſus, cùm à quodam procerum, nomine ſolito ſalutaretur; faciem ab eo auertit, Sum Rex, ait: magnamq; ac regiam maieſtatem præ ſe tulit. Idem toto quindecim dierum temporum, ſe Regem eſſe, omnibus affirmauit. Quo exacto, ad Regem redijt, & ſe quoq; Regem eſſe confirmauit. Rex admiratus. Tu, inquit, mihi Scotiæ regnum donaſti. Rex eum magis admiratus, cùm hoc negaret; ac fortè putaret illum eſſe mente mota:

En, inquit, literas manu tua, de regno mihi abs te donato, subscriptas. Eumq; cœpit, tanquam discipulum præceptor, grauiter reprehendere: quòd quæ peterentur, non perpensa concederet, tum quanta inde ei damna euenirent. In posterum igitur ne quid cuiquam indulgeret, nisi priùs illud, quidnam esset, probè nosset, & cui beneficium conferret. Hinc nata occasio aduersariis, vt spargerent, illum fuisse insanum, & arcessitum læsæ maiestatis. Non multò verò pòst obijt: sed morbo senectutis. Excesserat enim ætatis annum octogesimum. Hactenus Metellus.

Hoc quoq; non minùs memorabile est, quòd in morbo illo suo, quem ipse incurabilem vocat, præclarum illud, magniq; & validi cùm animi, tum corporis opus, complectens, vt ipse appellat, historiam rerum Scoticarum, ipse conficere, omnia temporibus diuidere, elaborare, & ad finem quoq; optatum tandem perducere potuerit. Quod quidem ipsum opus quàm primùm in lucem prodijsset, ipse in patria diem suum fertur obijsse; vir optimus & innocentissimus, immortaliq; hominum memoria, propter doctrinam & grauitatem planè eximiam, omnino dignissimus. Qui profectò, si quisquam alius, ingenio, & monimentis suis eruditißimis, satis euidenter refellere poßit fastuosos illos suorum tantùm ingeniorum admiratores & præcones, qui gentes sibi non solùm transalpinas, verùm etiam transmarinas, barbariei condemnare nondum etiamnum desinunt. De quibus aliâs commodior erit plura dicendi locus.

Nunc

Nunc ad ipſius libelli explicationem accedemus, vbi priùs in genere, pauca quædam de etymo vocis Pſalmi monuerimus, neque enim id videtur temerè prætereundum.

Quid ſignificet vox Pſalmus.

Ψάω, *inter alia, Græcis idem ſignificat, quod Latinis tango, vel contingo. Inde* ψάλλειν, *quod teſte Suida, propriè eſt citharœdorum; nimirum* τῷ ἄκρῳ δακτύλων τῶν χορδῶν ἅπτεσθαι, *id eſt, ſummis digitis, ſeu leniter tangere, aut vellicare chordas: quod pollicis ictum vocat Horatius. Idq́ꝫ Euripides in Bacchis etiam ad arcus tranſtulit,* τόξων χειρὶ ψάλλουσι νευράς, *id eſt, arcuum neruos manu tangunt, aut attrahunt. Apud Ariſtotelem quoqꝫ & Plutarchum Muſici dicuntur ſuas chordas* ψάλλειν, *id eſt, tangere, & pulſare. Hinc* ψάλμα *Euripidi, et* ψαλμὸς *Athenæo cantum fidium, vel carmen fidibus decantatum ſignificant. Veteres enim poëtæ, maximè Lyrici, ſicut & Dauid, ad lyram aut citharam ſua carmina accinebant: atqꝫ ita vocalem & inſtrumentalem Muſicam coniungebant. Ita Horatius Oda 9. lib. 4. ait, ſe verba loqui ſocianda chordis.*

IN PSALMORVM GEORGII BVchanani librum primum.

Psalmvs I.

D*E tramite*] Trames propriè eſt ſemita tranſ-uerſa & accliuis, qua montes quaſi tranſme-

ando conſcenduntur. Ouid. 10. Metamorph. *Carpitur accliuis per muta ſilentia trames.* Et Cicero in Philip. *Egreſſus eſt non viis, ſed tramitibus.* Quocirca hîc Buchananus epitheto addito propriam ſignificationem quodammodo correxit, ſicuti etiam fecit Pſal. 18. *Auertêre meos recto de tramite greſſus.*

Seſſórve cathedræ] Pertinent huc elegantiſſimi verſus Nazianzeni:

Οὐ μὲν ἐγὼ κείνοισιν ὁμόθρονος, οὐχ ὁμοεργός,
Οὐδέ τι συμφράδμων, οὐ σύμπλοος, οὐ συνοδί-
της.

Rimari] Eſt diligenter & valde ſollicitè ſcrutari, & tanquam per rimas aliquid inquirere: Græcè ἐρευνᾶν. Virg. XI. *partes rimatur apertas.* Et VII. *Quod cuique repertum Rimanti telum ira facit.* Dicitur etiam de animantibus & volucribus, roſtro terram vel eruentibus, vel perquirentibus prata & ſtagna alimenti causâ. Virg. 1. Georg. de auibus paluſtribus:

Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.
Et 3. Georg. *Ergo ægrè raſtris terram rimantur.* Vide Nonium in voce *Rimari.*

Sirius] Stella eſt primæ, vt vocant, magnitudinis, tota ferè hyeme in plaga meridionali ſub Orione, in ore canis maioris conſpicua, quam alii Caniculam dixêre. Vnde dies caniculares nomen acceperunt, quòd hac ſtella cum ſole orien-

te,

e, æstus vehementissimè ferè augeantur, & canes quoq; nonnunquam rabie corripiantur.

Impietas] Abstractum pro concreto, seu Impietas pro hominibus impiis. Orationis autem granditati seruit hæc figura, qua res pro personis accipiuntur. ita alibi Vanitas, pro hominib. vanis.

Anfractus] Sunt obliqui & sinuosi flexus viarum, in quibus circuitione opus est: dicti ab ambitu, & frangendo. Varro in Neutro quoq; genere vsurpauit: *Irrigauit cauata aurium anfracta.* Vtitur eadem voce Psal. 25.

PSALMVS II.

D*Iadema*] Vox Græca, à verbo διαδέω, id est, circumligo, aut corono. Olim fascia fuit linea, purpura intertexta, & gemmis obsita, gestamen regib. tantùm proprium. Vnde & pro corona ferè accipitur, ein stirnband.

Callis] Propriè est via bene trita & quasi callo pedum durata.

PSALMVS IV.

F*Ibræ*] In radicibus plantarum sunt tenuia quædam & minuta filamenta, ipsæq; adeò radiculæ extremæ. quo modo vtitur Psal. 80. *Iam radix teneras fuderat vndiq; Fibras.* In corporibus verò animantium sunt epatis & pulmonum extremitates prominentiores. *Neq; enim mihi cornea fibra est.* Persius. hîc pro ipsis visceribus accipiuntur.

Litare] Inter sacrificare & litare hoc interest,

inquit Nonius: *sacrificare* est veniam petere: *litare* est propitiare & votum impetrare. Virg. 4. Æn. *Tu modò posce Deos veniam, sacrisq; litatis*, id est, impetratis. Plaut. Pænulo: *Si herclè istuc vnquam factum est, tum me Iupiter faciat, vt semper sacrificem, neq; vnquam litem.* Sic Suetonius in Nerone, *Attendit & extispicio, nec vnquam litauit.* Hinc verbum *perlitare*, quo vtitur Psalm. 20. quod est perfectè litare, & sacrificio facto Deum placare, votiq; sui compotem fieri. Gel. l. 1. c. 7. *Si hæ res diuinæ factæ, riteq; perlitatæ essent; aruspices dixerũt, omnia ex sententia processura.* Græcis est καλλιερέομαι. i. vtor numine propitio, sacra facio feliciter.

PSALMVS V.

Q*Vestus*] Sine diphthongo querela est, siue querimonia, à queror questus sum, vnde cõqueror. Quæstus cum diphthongo, emolumẽtum & lucrum est, à quero quæsiui. Vnde conquiro.

Eous] ἠὼς, Græcis aurora est; vnde Eous apud Poëtas significat aliquid, quod est matutinum aut versus oriẽtem. ἠῷος ἀλέκτωρ. Variatur autem primæ syllabæ quantitas, quandoquidem apud Græcos & ἠὼς & ἑὼς pro eodem ferè accipiuntur. Virg. 1. Georg. *Antè tibi Eoæ Atlantides abscondãtur.* & x I. Æn. *Vota Deûm primo victor soluebat Eoo.* Ita Propert. *Siue illam Hesperijs, siue illam ostendet Eois.* Quos noster est imitatus hic & Psal. 89. *Radiis Hermon tepefactus Eois.*

Ciebo]

Ciebo] à cieo ciui citum penult. breui, ciere, id est, mouere. vt *fontes & stagna ciere* dicuntur ranæ apud Ciceronem de Diuinat. Hinc excito, cõcito, item percitus, excitus, concitus penult. breui. Alterum eiusdem feré significationis est cio ciui citum penult. longa, cire, id est, vocare. vnde accitus, excitus: penult. itidem longa, pro aduocato aut euocato.

Bustum] propriè locus est, vbi cadauer alicuius combustum & sepultum est. Vnde Statius dixit *fumantia busta*. Accipitur ferè pro ipso sepulcro. Cic. 2. de leg. *Bustum aut tymbon violare.*

Audacem simulare] id est, in simulando. Sicut Horat. dixit, *Audax omnia perpeti.* Sufficiat autẽ semel indicasse hunc Græcismum, qui, vt apud Horatium, ita in hoc quoque poëmate creberrimus est. Eodem enim modo Græci dicunt, ἱκανὸς ποιεῖν, ἀδίδακτος πάσχειν: quod Flacco est indocilis pati. ad cuius imitationem Psalmo XV. canit, *fidemq; indocilis temerare pactam.*

PSALMVS VII.

SEruator orbis] Ita dominum Deum, conditorem & conseruatorem rerum omnium nominat. Aliâs nomen hoc propriè tribuitur ἀνθρώπων σωτῆρι, siue Saluatori nostro Iesu Christo. Apud Propert. lib. 4. eleg. 6. eundem titulum Apollo tribuit Augusto Imp. hoc disticho:

Mox ait, ô longa mundi seruator ab Alba
Auguste, Hectoreis cognite maior auis.

Gentibus quoque celebris fuit ζεὺς σωτὴρ: qui Herculi quoq; idem nomen tribuêre.

Leo crudus] Pro crudeli aut cruento. crudum enim à cruore dictum volunt. Aliâs crudum dicitur quod incoctum est. vnde Medicis cruditas est, quam Græci ἀπεψίαν vocant.

Sitiens cruoris] Elegans metaphora, vehementem rei cuiuscunq; auiditatem exprimens. Vnde Cic. dixit *sitiens voluptates*, item *sitiens virtutes.* Et apud Hor. est, *sitis argenti.* apud Iuuenal. *sitis famæ.* apud Claudianum, *sitis prædæ.* Cyrus quoq; apud Xenophontem ardentissimam suam aliis benefaciendi cupiditatem volens indicare, dicit: διψῶ χαρίζεσθαι, id est, sitio aliis gratificari.

Crimina texuit] Id est, calumnias & mendacia concinnauit. More Græco. Hom. Ιλ. γ. δόλον ἄλλον ὑφαίνειν, id est, πλέκειν. ita Propert. *& causas texere lethi.* Cic. *texere opus, texere epistolam.*

Me persequatur] Bellam hi versus gradationem (quod in Rhetoricis Aristoteli est ἐποικοδομεῖν) seu κλίμακα continent, qui hoc modo soluta oratione expressus fiet conspectior: Iudex persequens me capiat, captum sternat, stratum proterat, protritum conculcet, conculcatum sepulcro inferat. In Heroico dixisset: *Me capiat, captumq; necet, tumuletq; necatum.*

Ferale] Prima longa, est quicquid funestum, dirum, & cum exitio & abominatione coniunctum est.

Lethi-

Lethiferas ſagittas] id eſt, mortiferas & veneno illitas. Lethum enim Poëtis mors eſt, ab obliuione, quam Græcè vocant λήθην, quia mors omnium rerum obliuionem inducit. Alii ſine aſpiratione ſcribunt, & deducunt à deleo, vnde letum quaſi deletum, quòd omnia deleat.

Pariet] indicat ἀπότευγμα, quod Germanis eſt ein fehl/ ſicut Eſaias cap. 33. *Concipietis fœnum, & parietis ſtipulam.*

Scrobem] foſſam. Scrobs propriè fouea in terra effoſſa, ad arbores conſerendas aut depangendas.

Expeditus] Liberatus. à pedibus animalium, qui cùm ſtupa aut lino, aut quocunque alio filamento implicantur, dicuntur impediri. Id autem ſi inde tollatur, & pedes liberi fiant, dicuntur propriè expediri.

PSALMVS VIII.

GEntis humanæ] verſus Horatii lib. 1. Od. 12.

Pollentis] validæ, potentis. *Auſter fulmine pollens*: et *pollens opibus*, eſt apud Lucretium. *Hoſtis equo pollens*, apud Ouidium.

Lactens] à Lacteo, es, lactêre, penultima longa, quod eſt lac ſugere, & proprium eſt infantis, aut catuli ab vberibus pendentis, ſaugen. Aliud lacto, as, are, quod eſt lac præbere, ſeugen. Et proprium eſt matris. Pſalm. 103. dixit, *lactens pueri venuſtas.*

Hauſtus auræ vitalis] Poëticè accipitur pro ipſa

vita, quæ tamdiu inesse corpori creditur, quamdiu vitali vescitur aura, seu quãdiu spiritũ ducit.

Ales] In auguriis veterum aliæ volucres vocabantur oscines, quæ voce & cantu; aliæ alites seu præpetes, quæ volatu aliquid prænunciare putabantur. Vtrumq; complexus est Virg. de augure loquens: *Qui volucrum linguas, qui præpetis omina pennæ, &c.* Hîc poëticè pro quauis aue vsurpatur.

Pinnarum] Pinna vocabulum est homonymũ. Sunt enim etiam pinnæ ædificiorũ & murorum partes, ad modum fastigii acuminatę. Hîc autem sunt πτέρυγες, seu pennæ piscium, fischfedern.

PSALMVS IX.

AEternum ætheris arbitrum] Periphrasis Dei, cuius arbitrio cœlum & terra condita sunt & conseruantur.

Pessum abit] Pessum aduerbium idẽ significãs, quod Græcis κάτω, id est, deorsum & quasi sub pedes depressum. Lucret. 6. *Pessum subsedêre suis pariter cum ciuibus vrbes*, loquens de terræ motu. Columel. lib. 12. c. 6. *Est aliud muriæ maturæ experimentum. Nam vbi dulcem caseum demiseris in eam, si pessum ibit, scies esse adhuc crudam: si innatabit, maturam.* Hinc *dare pessum* & *pessundare*, item *ire pessum*, sicuti, *dare venum & venundare*. item: *Ire venum seu venire*, id est, venalem esse.

Condis nube silentij] Bella translatio. Sicuti. n. nubes splendorem radiorum solarium adspectui nostro

nostro aufert: ita silentium & hominis, & rerum ab ipso gestarũ memoriam abolet, earumq; obliuionem inducit. Sicuti ex aduerso multorũ vox & celebratio nominis claritatem efficit & conseruat. Hinc Pindarus alicubi de re eadem loquens, λάθας νέφος, id est, obliuionis nubem dixit.

Vis fœta superbiâ] Fœtus, substantiuè, aliâs γέννημα, est rerũ tam animatarum quàm inanimatarũ. 4. Georg. *Nec fœtus nixibus edunt*. Ouid. 4. Metam. *Arborei fœtus*. Et Virg. 2. Georg. *Fœtus nemorum*. &, *largo pubescit vinea fœtu*. Hîc adiectiuè idem significat cum grauido aut pleno. Fœtum enim dicitur animal prægnans ante & paulò post partum. Eleganti igitur translatione vim superbiâ fœtam, id est, prægnantem & grauidam superbiâ dixit. Violentia enim plerunq; cum superbia coniuncta est, quod vernaculo sermone diceremus, **gewalt gehet mit hoffart schwanger**. Virg. *Loca fœta furentibus austris*. Et: *Non insueta graues tentabunt pabula fœtas*. Horat. *vulpes fœta*. Et hîc noster infrà Psalmo 105. *Regia fœta ranis*.

Asyli arcem pandis] Σύλα Grecis præda seu rapina est, inde συλάω, συλέω vel συλεύω, est spolio vel aufero. Hinc ἄσυλον, arx, templũ, statua principis, vel area sacra dicta est, in quã vótibus tutus erat receptus, vnde nefas esset, quẽpiam extrahere vel abripere. Aliâs Grecis κρησφύγετον. Virg. 8. Æn. *Hinc lucũ ingentem quẽ Romulus acer asylum*

Rettulit. Hinc ἀσυλία pro eo iure libertatis & veniæ.

Dominum pangite] Propriè pangi dicuntur plantæ, quæ in ſcrobes defiguntur. Hinc verſus quoq; pangi, id eſt, ſtylo in tabellam ceream impreſſo quaſi exarari videntur. Cicer. Tironi, *A pangis aliquid Sophocleum?* Horat. *Ego mira pöemata pango.*

Plagis irretire] Plaga quoq; verbum eſt homonymon, quod prima breui, ut hîc, ſignificat retia rariora ad capiendas feras, quòd ſcilicet, vt nonnulli volunt, plagis, id eſt foraminibus, plena ſint. vnde Horat. *Trudere apros in obſtantes plagas.* Et per metaphorā *plagæ amoris*, apud Lucretium. Eadem vox prima breui ſignificat ſpatia vel tractus cæli aut terræ ampliſſimos. hinc *plaga orientalis aut occidentalis.* Eadem deniq; prima longa ſignificat verbera, Græcis πλῆγας. Hinc *plagas adhibere; Phryx plagis fit melior.* Vnde *plagoſus Orbilius*, qui plagis inferendis delectaretur.

O res pectoris altis condenda in penetralibus!] Expreſſit Paraphraſtes his verbis vim vocis Ebraicæ SELAH.

PSALMVS X.

VErgat in caput] Id eſt, recidat, vt, quod ſequitur, ſuis pereat artibus, iuxta illud Salomonis: *Dolus recidit in cor fabricantium malum: In conſiliarios autem pacis lætitia.* Eſt autem *vergere*, leniter inclinare, demittere, aut etiam ſe extendere.

Hinc

Hinc vergere in meridiem aut ſeptentrionem. Dies vergens in noctem. *Inuergere* verò idē quod infundere eſt. Vir. *Frontiq́; inuergit vina ſacerdos.*

Percitus cupidine lucri] Id eſt, cõmotus, impulſus. Sic percitus ira, odio, timore, furore. Vide cibo Pſal. 5.

Compita] Loca, vbi plures viæ ſeu itinera competunt. Ein creutzweg. Ouid. *internas compita ſecta vias.*

Spelæa] σπήλαιον, vel σπήλυγξ, Latinis antrũ, ſpelunca vel cauerna. vnde ſpelæum ferarum, pro intro feris latibulum præbente. Virg. *in ſyluis inter ſpelæa ferarum.*

Inuolet innocentem] Quaſi volâ iniectâ comprehendat & conſtringat. Non enim componitur à verbo volo, as, are: ſed à nomine vola, quæ propriè eſt cauum illud in media manu vel pede. Eſt igitur hîc inuolare quaſi in volam capere.

Multimodis] Legendum *multinodis*, πολυπλόκοις, vt penultima ſit longa, à nexu multorum nodorum. Ita Lucretius dixit: *multangelus*, Plin. *Multicaulis*, Ouid. *Multiforus*, Varro *Multinumus*. Ad quorum ſimilitudinem eleganter vocabulum hoc πεποιημένον conformauit.

Naſſa] Naſſa propriè textum vimineum, in quod eſcâ impoſitâ piſces alliciũtur, ita vt ingreſſis non pateat exitus. Hîc metaphoricè accipitur pro dolis & machinationibus fraudulentis.

Librata vulnera] Id eſt, tela iampridem librata

tandem eiaculari, & hoſtem vulnerare. *Librari* enim de telis dicitur, cùm iis ictum alicui intentamus. Virg. 9. Æn. *Ecce aliud ſumma telum librabat ab aure.* Quo exprimitur geſtus haſtile vibrantium.

Peruicax] Quaſi per vim perſeuerans, nulli cedens, Græcè σκληραύχην, ἰσχυρογνώμων.

Veſania] παραφροσύνη, ſeu potiùs μανία, & vecordia crudelis & furioſa. Ita Catullus vocat *ventum veſanientem.*

Eliminetur] Quaſi extra limen eiiciatur. Eſt enim *eliminare* extra limen efferre. Horat. *ne fidos inter amicos ſit qui dicta foras eliminet.*

Imperî] Pro imperii, apocope poëtis vſitata. Virg. *Tugurî congeſtum ceſpite culmen.* Ita Pſal. 13. dixit: *auxilî*, pro auxilii. Pſal. 55. *Conſilî*, pro, conſilii. Et alibi *Ingenî*, pro, ingenii.

PSALMVS XI.

N*Eruo ſagittas admouet*] Quaſi de arcu Scythico (flitſchbogen) loquatur, cuius neruo crena ſeu inciſura ſagittę immittitur à ſagittario, priuſquam arcum tendat.

Speculatur] Quaſi è ſpecula cæli intuetur. Eodem pænè verbo vtitur Prudentius, in verſibus omnium piorum obſeruatione digniſſimis, & cũ hoc quoque Pſalmi loco planè congruentibus:

Speculator adſtat deſuper,
Qui nos diebus omnibus
Actusq; noſtros proſpicit

A luce

A luce prima in vesperum.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur quidquid est,
Humana quod mens concipit.
Hunc nemo fallit iudicem.

Remisto] Pro misto. Compositum pro simplici. Horat. arte Poët. *Sic veris falsa remiscet*, pro miscet.

PSALMVS XII.

Epagula] Repagulum propriè in circo illud quasi obstaculum erat, quo demisso, equi curres ab excurrendi libertate cohibebantur; eoemq; sublato, ad cursum emittebãtur, **Ein fürwurff / schlagbaum.** Accipitur etiam pro obice, u pessulo quo fores muniuntur, **ein rigel oder rindel.** Vtrumque Plautus Cistellaria coniungit: *ccludite ædes pessulis, repagulis.* Nonnullis etiam lẽ significat quod Grecis καλύπτηρ, seu operculum.

Planctus] Propriè eiulatus cum pectoris percussione.

Aure trahens] Poëticè, pro, exaudiens.

Toxica] Toxicum pro veneno accipitur, teste Plinio; dictum à taxo arbore venenata: vel quòd τοῖς τόξοις, id est, sagittis illineretur. Dioscorides enim lib. 6. scribit Toxicum dici ἐκ τοῦ τὰ τόξα τῶν βαρβάρων ὑπ' αὐτοῦ χρίεσθαι. Alii à τοξάζω, id est, iaculor, deducunt, quòd venenum in imas corporis partes penetret. Vtuntur eo Plautus, Horatius, Propertius & alii. Vide Plin. lib. 16. c. 10.

PSALMVS XIII.

MEo dolore gaudeant] Significat ἐπιχαιρεκακον, qui Germanis est ein schadenfro/vitium proprium diabolo & hominibus prorsus malis.

PSALMVS XVI.

AFfatim] Abundanter. ἀδεῶς. Cic. *Puto me Di-cæarcho affatim satisfecisse.*

Agricolatio] Pro agricultura, vox Columella.

Stimulor pectora] Græcismus. pro, pectus mihi stimulatur. Ita Horatius dixit: *Purgor bilem*, id est, bilis mihi expurgatur. Eurip. Hecuba, τυφλοῦμαι φέγγος ὀμμάτων.

Tartari] Pro inferno. Virgil.

--tum tartarus ipse
Bis patet in præceps tantum tenditq; profundum,
Quantus ad æthereum cæli suspectus Olympum.

PSALMVS XVII.

COgnitorem] Quis propriè dicatur cognitor, optimè patet ex commentatione Asconii in illud Ciceronis prima Verrina: *Me defensorem calamitatum suarum, me vltorem iniuriarum, me cognitorem iuris sui, me actorem causæ totius esse voluerunt.* Sic enim ibi Asconius: *Qui defendit alterum in iudicio, Aut patronus dicitur; si Orator est: Aut aduocatus; si aut ius suggerit, aut præsentiam suam commodat amico: Aut procurator, si negotium suscipit: Aut cognitor, si præsentis causam nouit, & sic tuetur vt suam. Ergo cognitorem dixit modò familiarissimum defensorem.* *Cogi-*

Cogitatus arcanos] Pro arcanis cogitationibus ...xit.

Orbitam legum] Elegans metaphora. aliâs *orbi-* ... propriè est ἁρματροχία, seu vestigium rotæ in ...a decurrentis. Ein wagenspůr. 3. Georg. *Casta-* ...*um molli diuertitur orbita cliuo.* Vnde verbum ...*orbitare.* vtitur eadem voce Psal. 32.

Impotentum] Impotens hîc non significat in-...alidum, sed eum qui iræ aut aliis suis cupidita-...bus moderari non potest. Homo impotens, ...ermanicè est ein vngehaltener mensch / quales ...rè sunt diuites fastuosi.

Sufficis ventri] Id est, suppeditas.

Hilaras] Ab hilaro, quod est exhilaro, seu iu-...unditatem affero. Ouid. *Hos vbi facundo tua vox* ...*ilarauerit ore.* Verbũ à Cicerone quoq; vsurpatũ.

Tueri] Pro, intueri. Sicut Ouidius: *Os homini* ...*ublime dedit, cœlumq; tueri Iussit.*

PSALMVS XVIII.

T*Orrentibus aquis*] Torrens aliâs substantiuè fluuium significat, non viuâ aquâ, sed pluuiis ...rescentem, qui Græcis est χαραδρεών, ἢ πόταμος χαραδραῖος. Hîc tanquam participio vsus est, ad ...mitationẽ Virgilii, cuius Eclog. 7. hi sunt versus:

Hîc tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

Et Georg. 2. *Torrentem vndam leuis innatat alnus.*

Olympi] Olympus dictus est, Theone interpre-...e Arati teste, quasi ὁλόλαμπος, quòd totus lu-

ceat. Quamuis Cęsar Scaliger putet dictum; qu-
si ὀλύοντα ποδάς. Vt esset montis nomen ob alt-
tudinem, quem cùm ascenderent, interroga-
quò irent, dicebant, in cælum. Vnde cælo com-
municata vox. Aristoteles tamen, aut quisqu-
est auctor libri de mundo, vsitatum etymon ip-
quoque probat his verbis, interprete Budæo: *De-
us in excelso situs est, purus ipse, in puro loco. Que-
locum tum οὐρανὸν ab origine vocis dicimus, qua-
terminũ extimum supremorũ corporũ (vt dictus s-
οὐρανὸς quasi ὅρος τῶν ἄνω) tum etiam Olympum
vt vsque quaque lucidum, ab omni caligine secretum
motuque omni incondito, cuiusmodi sunt, qui apud no-
venti fiunt & tempestates. Id quod his verbis signifi-
cat Homerus:*

Esse solum diuis subnixum semper olympum
Fama est haud ventis tremefactum, haud imbrib-
vdum.
Ac procul à niuibus subductum: nubibus illinc
Splendida summotis candensque expanditur æthra.

*Huius aũt rei elogiũ est mortalium consensus, regi-
onẽ mundi summã non dubiè Deo tribuentiũ. Quam
ob causam ipsi manus tollimus sursum, inter vota
cõcipienda.* Hęc ibi Aristoteles. Locũ aũt Homeri,
quem citat, respexisse videtur & Solynus cap. 13.
cùm ait: *Olympũ ab Homero non per audaciam ce-
lebratum, docent quæ in eo visuntur. Primùm excel-
lenti vertice tantus attollitur, vt summa eius cœlĩ
accolæ vocent. Ara est in cacumine Ioui dicata, cu-*

ius

us altaribus si qua de extis inferūtur, nec difflantur ventosis spiritibus, nec pluuiis diluūtur, sed voluente alter o anno cuiusmodi relicta fuerint, eiusmodi repe-riūtur. Et omnibus tempestatibus à corruptelis au-rarum vindicatur, quidquid ibi semel est Deo conse-cratū. Litteræ in cinere scriptæ, vsq; ad alteram anni cærimoniā permanēt. Hęc Polyhistor. Olympi alti-tudinem Xenagoram inuenisse scribit Plutarchus in vita Æmilii, atq; ideo erecto in montis vertice monimento, & addito carmine, rem posteritati testatum esse. Diodorus quoque Siculus lib. 5. in descriptione Panchææ seu Arabiæ felicis, de O-lympo scribit, quòd sit mons excelsus, dicatus Diis, & cœli quoq; sedes dictus, & olympus tri-phylius. In fabulis. n. esse antiquū illum Cœlum terræ imperantem, familiariter in hoc loco ver-satum, & ex eius altitudine cœlum eiusq; sidera esse contemplatum. Homerus quidē primo Ili-ados Olympum ἀγάννιφον appellat, q. d. valde ni-uib. conspersum. Sed interpres refert hoc ad par-tes Olympi, quæ sunt ὑπὸ τοῖς νέφεσι. τὰ γὰρ ἄκρα τοῦ ὀλύμπου ὡς ὑπέρφερῆ, καὶ ὑπερνεφῆ, οὔτε νίφεται, οὔτε κατομβρεῖται. Vbi etiam adducit ver-sus, quos paulò antè à Budæo Latinitate donatos ex Aristotele adducebamus:

Οὔλυμπόνθ' ὅν φασι θεῶν ἕδος ἄσφαλες αἰεὶ
Ἔμμεναι, οὔτ' ἀνέμοισι τινάσεται, οὔτε ποτ' ὄμβρῳ
Δεύεται, οὔτε χιὼν ἐπιπίλναται, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη
Πέπταται ἀνέφελος, λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

De naribus] ἀνθρωποπαθῶς. Cùm enim scriptura Deo adſcribit os, oculos, aures, manus, pedes, & ſimilia, non propterea Deum corporeum debemus imaginari, quod olim fecerunt Anthropomorphitæ. Tales enim loquendi formæ non tam exprimunt, qualis ſit Deus, quàm eius notitiam incomprehenſibilem tenuitati noſtræ accommodant. Iis enim, veluti nutrices cum infantibus ſolent, balbutire nobiſcum Dominus voluit. Vt cùm naturam eius intelligere nequeamus, quaſdam ſuas proprietates membrorum nomine nobis adumbraret, vt prouidentiam oculis, fortitudinem brachio, iram naribus, atque ita de reliquis.

Fauilla] Cinis eſt calidus, ſub quo ignis abstruſus latitat & fouetur, de quo Horatius, *Incedis per ignes ſuppoſitos cineri doloſo.* Saxones vocant amer.

Fuſcæ] Color fuſcus ſubniger eſt, ex rubro in nigrum degenerans. Braun.

Adremigat] Quid ſit remex & remigium in re nautica, notum eſt. Quia autem volantibus eundem vſum in aëre præbent alæ, quem nauiculariis in aqua remi: eleganti metaphora, id quod de nauigio propriè dicitur, transfertur ad volatum. Ita Virgilius *remigium alarum* dixit.

Furuo] Color furuus eſt idem cum atro, ſeu anthracino, id eſt, carbonis inſtar nigro.

Ex oculis vibratæ ſpicula flammæ] Talis enim eſt

vultus

ultus iratorum. Ita Virgilius de Turno irato:

--- *Totoq; loquentis ab ore*
Scintillæ absistunt, oculis micat acribus ignis.

Sinuosa] Sinus in corpore humano ea pars di-tur, quæ est intra pectoris brachiorumq; com-lexum, ad ipsa præcordia. Terent. *Hiccine non estandus in sinu est?* Hinc sinus vestium appella-unt plicas, seu plicaturas vulgò dictas. Virg. *No-oq; sinus collecta fluentes.* Item sinus maris, seu artes littorū, propter excursus maris incuruas. qui si maiores sint, à nostris nautis nominantur, in wick: Græcis κόλπος. Hinc quicquid incur-uum est, & multos sinus habet, dicitur sinu-osum, vt mare, vela, cauda serpentis, vestes & alia.

Inane] More Lucretii, pro vacuo, vel ipso aëre, quod Horatio est, τὸ *purum: Plerunq; per purū to-nantes Egit equos, volucremq; currū.* Per purum, id est, aëra, quod Greci dicunt, δι' αἴθρην, per æthrā.

Laticum] Latex Lucretio est omnis humor aut liquor, qui in re aliqua latet, vt latex absin-thii, pro succo de absinthio expresso. Idem *liquo-ris vitigeni laticem* nominavit vinum. Ouid. *Pal-ladios latices*, pro oleo. Hîc simpliciter accipitur pro aqua.

Hians tellus] His & sequentibus terræmotus indicatur, quo terra aut egeritur, aut complana-tur, aut in voragines dehiscit.

Chaos] Vox Græcis & Latinis Poëtis vsurpata,

ſignificat rudem indigeſtamq́; molem, ſeu confuſionem & congeriem rerum omnium informem: ex qua mundum & reliqua in mundo create eſſe Poëtæ fabulantur. Ouid. 1. Metam.

Cæca fraus arte] Cæcum hîc eſt occultum clandeſtinum, ſiue ἀόρατον, quod ſub adſpectum non cadit. ita Pſal. 27. *Fraus cæca ſit formidini.*

Celebri me in luce] Ita Cicero ad Q. Frat. inquit: *Eius virtutem non latere, ſed in luce Aſiæ, in oculis clariſſimæ prouinciæ eſſe poſitam.*

Florentes ære phalanges] Id eſt ſplendentes. Arma enim exercitus, præſertim ſole lucente, latè micant, & è longinquo conſpicua ſunt. Reſpexit autem hic paraphraſtes ad vetus illud, *florentes ære cateruas.* Poëtæ verò Epici, Seruio etiam teſte, verbo *florendi* variis omnino in rebus paſſim vſi ſunt, vt apud Lucretium ſunt *florentia lumina flammis*, id eſt, ſplendentia & latè lucentia. Eidem *mare nauibus, vrbes pueris florent.* M. Manilius quoq; nomen *floris* elegantiſſimè ad ſtellas tranſtulit. Sicuti Columella non minùs eleganter nomē ſtellarum & ſiderum ad flores tranſtulit terreſtres. Quod enim in cœlo ſunt ſtellæ, id in terra ſunt flores, & è contrario. Verſus Manilii libro 5. Aſtronom. hi ſunt, penè in extremo:

Tunc conferta licet cæli fulgentia templa
Cernere ſeminibus denſis, totisq́; micare
Floribus, vt ſiccæ currunt per littus arenæ.

Sic ἀνθεῖν quoque vſurpant poëtæ Græci. Sic Æſchy-

Æschylus ἄνθος, Homerus σπέρματα πυρὸς dixit. Et Virgil. *semina flammæ*, alii *florem ignis* dixere, vt ad locum illũ Manilii monet incomparabili patri similis filius Iosephus Scaliger.

Phalanges] Phalanx propriè acies Macedonum quadrata octonis peditum millibus constans, in qua pes pedi, clypeus clypeo, vir viro consertus erat: qua nihil apud Macedonas validius, vt lib. 3. Q. Curtius scribit.

Obsessa viarum] Pro viis insidiosè obsessis. Forma loquendi Poëtis & Historicis non infrequens, vt, *Ardua terrarum, opaca locorum, angusta viarum, abdita littorum, caua saxorum, deuia syluarum, summa vel inuia montium, lata camporum, &c.* Ita Psal. 69. dixit, *prospera bellorum*, sicuti Horatius, *peracuta belli*, dixit, quæ Græcè diceres, τὰ τοῦ πολέμου δεινά.

Armis reparare ruinas] Hoc Gręcis est ἀναμάχεσθαι, quod in extremis periculis propter desperationem sæpe saluti fuit, cùm aut vincere aut mori pugnantibus est propositum. Ita autem affecti maximè sunt formidabiles. Huc illud Virgilianum, *Vna salus victis, nullam sperare salutem.*

Boreæ violentia] Pro ipso Borea violẽto, poëticè. Ita Horat. *Virtus Scipiadæ & mitis sapientia Lælii*, pro ipso Scipione & Lęlio. Vide Psal. 1. *Impietas.*

Parere volentes] ἑκουσίους ἢ ἑκόντι νόῳ, vt Pindarus loquitur. Obediẽtia enim voluntaria regi-

bus maximè optanda eſt. Vt enim apud Salluſti um loquitur Sylla, *Tutius eſt volentibus quàm coactis imperitare.* Ita Virgil. de ſuo Auguſto: *Iura volenti dat populo.* Inuitis enim imperare admodum graue & periculoſum eſt. Apud Pindarum eſt, ἐθέλοντα προσέλκειν, Olymp. Od. 6.

PSALMVS XIX.

INſanientis ſapientiæ] Ita Horat. Od. 34. lib. 1. vocat philoſophiam Epicuri, ſpeciem quidem ſapientiæ habentem, ſed quæ penitius introſpecta mera eſſet inſania. Figura quam Rhetores vocãt ὀξύμωρον, q. d. acutifatuũ. *Eſt enim*, vt Quintilianus ait, *ſententia ex periculo petita, ſeu ita affectatè & acutè enunciata, vt primo intuitu fatua videatur: ſed tamen poſtea peculiari cum acumine coniuncta deprehendatur.* ita Cic. *Si tacent, ſatis dicunt.* Et alibi Horatius, *ſtrenua nos exercet inertia.* Item. *Concordia diſcors. Fides periura. Ebrietas ſobria.* Talia Græcis ſunt, σοφία ἄσοφος, βίος ἀβίοτος, ὕπνος ἄϋπνος, γάμος ἄγαμος, &c.

Fornice flammeo] Quid fornix in ædificiis ſit, notum eſt. Hîc accipitur pro concauitate cœli ſtellis exornato & diſtincto.

Pelagi arcum] Indicat maris quaſi globũ. Mare enim cum terra integrum globum conſtituit.

Fortuito] Penultima longa, ad imitationem illius Horatiani, *Nec fortuitum ſpernere ceſpitẽ leges ſinebant*, od. 15. lib. 2. Et ita etiam τὸ *Gratuitum*

& ſi-

[ha]c similia pronuncianda esse confirmat genere & [d]octrina clarissimus ille Ianus Dousa lib. II. Præ-[c]idan. ad Petron. Arbitrum.

Sidera obliqua] Intelligit duodecim signa Zodiaci, quæ sol motu proprio quotannis semel [p]eragrat.

Iugiter] Iuge est, quod perpetuum aut continuum est. Horatius, *fluuius perennis iugis aquæ*. Et Serm. 2. Sat. 6. *Tecto vicinus iugis aquæ fons*. id est, perenni scaturigine fluens. Hinc *iugiter*.

Sinuosus error] Simplex enim est veritatis oratio. Sed mendacia, perplexa & intricata cúm sint, multis inuolucris indigent. Rationem metaphoræ vide Psal. 18.

PSALMVS XX.

ADyto] Intelligit partem templi intimam & sanctissimam, quam phrasi Ebræa *Sanctum sanctorum* appellabant: vnde responsa & oracula olim reddebãtur. 2. Æneid. *Isq; adytis hæc tristia dicta reportat*. Δύω, id est, ingredior: hinc ἄδυτον locus inaccessus: aut, si de templo Hierosolymitano loquamur, nemini patens, præterquam summo sacerdoti. Hinc Lucretius per metaph. eleganter dixit, *adytum cordis*. Et ipse paraphrastes Psal. 57. hanc vocem ad cœlum, quod adyto templi significabatur, transtulit.

Axes asperare falcibus] Indicat currus δρεπανηφόρους, seu falcatos, quorũ in bellis veterũ usus erat. E curribus enim veteres pugnasse vel ex Ho-

mero notum eſt. Iidem in libro Ioſuæ nominantur *currus ferrei.* Lucretius vocat *falciferos.* Xenophon ἅρματα δρεπανηφόρα. Liuius *quadrigas falcatas*, qui etiam Decad. 4. lib. 7. in deſcriptione pugnæ, qua Romani Antiochum ſuperarunt, quadrigas illas ſic deſcribit: Armatæ, inquit, in hunc maximè modum erant. Cuſpides circa temonem à iugo decem cubita extantes, velut cornua habebant, quibus, quicquid obuium daretur, transfigerent: & in extremis iugis binæ circa eminebant falces, altera equata iugo, altera inferior in terram deuexa. illa vt quicquid ab latere obiiceretur abſcinderet, hæc vt prolapſos ſubeuntesque contingeret. Item ab axibus rotarum vtrinque binæ eodem modo diuerſæ deligabantur falces, &c. Earundem meminit Q. Curtius in pugna Alexandri & Darii.

Hoſtica] Pro hoſtilia, more Horatiano. *illum ex mœnibus hoſticis.* Item, *Cædes & rabiem tollere ciuicam*, pro ciuilem.

PSALMVS XXI.

M*Enſura voti*] Accipitur pro quadam impletione & ſatietate rei alicuius perfecta, qua maius aut melius optari nihil poſſit.

Perduelles] Qui Græcis ſunt πολέμιοι, ſeu hoſtes quodammodo ἄσπονδοι, & peruicaces.

Syluæ brachia] ita vocat ramos arborum poëticè.

Dema-

Demete] à demeto, demessui.

Inhonesta vulnera] Inhonestatis enim seu turpitudinis & fugę infamis signum est, vulnus tergo aut poplitibus acceptum, corpore scilicet non aduerso, sed auerso. Hinc apud Catullum sic laudatur Achilles:

Hostibus haud tergo, sed fronte & pectore notus.

PSALMVS XXII.

C*Iuitatis incola*] Græcis πολιοῦχος.

Nictatq;] Nictare est oculis signum dare, aut conniuere. Plautus Asinaria: *Nec illa vlli homini nutet, nictet, annuat. Nictantia quoq; sidera* dixit Maro in Ciri. Videntur enim conniuere.

Efferati] Efferare est aliquem irritando & molestando instar feræ ferocem & immanẽ efficere.

Liquitur] Id est, liquescit, ad imitationem Virgilii 1. Georg.

Vere nouo canus gelidis cùm montibus humor
Liquitur, & zephyro putris se gleba resoluit.

Defecta viribus] Viribus destituta. Martialis:

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cycnus funeris ipse sui. Hinc *defectus facultatibus* in Iure Ciuili ab Vlpiano dicitur ad egestatem redactus, vt creditoribus satisfacere non possit.

Tralucentia] Pellucida. à trans & luceo.

PSALMVS XXIII.

T*Repidas tenebras*] quæ horrorem & trepidationem concitant: Metalepsis.

Pedo] Pedum propriè eſt baculus paſtoritius incuruus. Virg. *At tu ſume pedum.*

PSALMVS XXV.

MYſteria] μυέω, id eſt, in ſacris inſtituo & inſtruo, vnde Germanicum weyhen. Item μύω, vnde μύειν, eſt in latibula ſe abdere, inſtar muris, qui, vt volunt nonnulli, μῦς propterea dictus eſt. Μύω quoq; vel μύζω idem eſt, quod os comprimo ſeu muſſito, quia oportebat, vt docet Euſtathius, τοὺς μύστας μύειν τὸ στόμα καὶ μὴ ἐκφαίνειν ἃ μεμύωνται. Ariſtoteli eſt μεμυκὼς τῷ στόματι, qui ore eſt compreſſo. Hinc myſterium accipitur pro re ſacra & arcana, & occultam ſignificationem habente. Germ. ein Geheimnus.

PSALMVS XXVII.

INtuor] Antiquè pro intueor. Plautus Moſtellaria: *Nullam cornicem intuor.* In præterito intutus vel intuitus ſum. In infinitiuo intui.

Vitam quam debet tibi] Bella phraſis, qua vti poſſumus, cùm alicuius erga nos beneficentiam volumus agnoſcere & celebrare, & omnia noſtra illi accepta referre. Ita dicimus, *Salutem, incolumitatem, dignitatem & felicitatem ſuam alicui debere.*

Fatiſceres] Fatiſco, quaſi fatim vel affatim hiſco, i. e. aperior, χαίνω. Virg. 6. *Accipiũt inimicum imbrem, rimisq; fatiſcunt,* id eſt, valde aperiuntur,

ſich

ch von einander thun/ oder/ von einander sprin-
en. Aliàs idem quod deficere, aut lassescere si-
nificat, vt hîc, & apud Lucretium: *Animæ natu-*
fatiscit Fessa æuo. Item psal. 104. *Te vultum*
ndente fatiscunt.
Præstolor] Præstolari est quasi præstò esse, &
pparere, einem auff den dienst warten/ auffwar-
n. A prestò præstolus, vnde præstolari. Hîc sim-
iciter pro expectare accipitur.

PSALMVS XXVIII.

Vpplıciis] Hac voce propriè vtitur versu 19. hu-
ius Psalmi. In hoc autem tertio versu more
allustiano, pro supplicationibus eam usurpa-
it. Sic enim Sallustius cùm sæpè alibi, tum in
atilina: *Non votis neq; suppliciis muliebribus Deo-*
um auxilia parantur, sed vigilando, agendo, bene
onsulendo prosperè omnia cedunt. Vbi socordiæ te
tq; ignauiæ tradideris; nequidquam Deos implo-
es. Irati infestiq; sunt. Idem in Iugurtha: *Senatus*
ea feliciter gesta Dijs immortalibus supplicia de-
ernere. Ita dixit psal. 102. *Aures supplicijs nunc*
dhibe meis. Eodem modo, *Obsidium*, pro *obsidio-*
e, dixit Corn. Tacitus.

Cælum peruigil] τὸ *peruigil*, in genere neutro
osuit. Et de stellis, tanquam de cæli oculis, tota
octe excubias agentibus, eleganter & poëticè
c locutus est.

Pro semente legant semina] Respexisse vide-
ur Poëta hæc scribens ad apophthegma quod-

dam M. Pinarii, recitatum à Cicerone in ſecund de Oratore his verbis: *vt olim Ruſca cùm ferret legem annalem, diſſuaſor M. Seruilius, Dic mihi, in quit, M. Pinari, num, ſi contra te dixero, mihi male dicturus es, vt cæteris feciſti? vt ſementem feceri ita metes, inquit.* Cui ſimile eſt illud 3. Rhet. Ari ſtotelis, σὺ δὲ ταῦτα αἰσχρῶς μὲν ἔσπειρας, κακῶ δὲ ἐθέρισας.

Hebri progenies] Heber pronepos Semi fuit, quo poſteros omnes dictos volunt Hebræos Gen. 11. Luc. 3. vixit annos 464. Aliis non ab He bero certo aliquo viro dicti videntur Hebræi, ſed potius ab Habrami nomine non proprio, ſed co gnomine, quod apud Chananæos habebat, cùm tranator, vel tranſuetus eſt dictus, eò quòd vocā te Domino è Babylone & Meſopotamia eſſet e greſſus & fluuium Euphratem transmiſiſſet, & perpetuò ex vno loco in alium commigraret. Ita Gen. 39. de Ioſepho dicitur, Venit ad me ſeruus Hebræus vt illuderet mihi. Non quòd iam tum eſſet populus aut natio tali nomine inſignis, ſed quòd Ioſephus inter Ægyptios & ſeruus & pere grinus eſſet, quorum vtrumque maior modeſtia deceret. Hebræi verò ipſo hoc nomine & condi tionis ſuæ in his terris, & de meliori & certiori patria in cœlis quærenda monebantur.

PSALMVS XXIX.

A*Dorea*] Vox vſurpata ab Horatio od. 4. lib. 4. *Qui primus alma riſit adorea.* quam vetus in terpres

erpres laudem bellicam significare ait, quia vi-
ctores facit adorandos. Festus autem Pompeius
de eadem voce hæc habet: *Ador farris genus. hinc
adoream laudem siue gloriam dicebant: quia glori-
osum eum putabant esse, qui farris copia abundaret.
Adorea autem pro laude accipi cœpta est, postquam
præmium militibus frumentum erat, parta victo-
ria.* Hinc Plin. lib. 18. cap. 3. *Gloriam*, inquit, *ipsam
farris honore adoream appellabant.* Et Plaut. *Qui
multa præda, atq; adorea affecit populares suos.*
Vnde adoriosus idem quod ἔνδοξος. Ioseph.
Scaliger in Festum.

Ad patrandum] Patrare idem est, quod perfi-
cere, aut ad finem perducere. Græcè διαπράττειν.
Cic. 2. de Legib. *Opera patrare.* Epist. ad Attic.
Promissa patrare. Sallust. Iugurtha, *spe patrandi
belli omnes asperitates vincere.*

Tesqua] Vox antiqua Sabinorum, significans
loca deserta, inculta & aditu difficilia. Hor. Epist.
14. *Deserta & inhospita tesqua.* His contraria
sunt Tempe.

Robora concidunt] Robur species quercus du-
rissimæ est. Hor. *illi robur & æs triplex, &c.*

Tellus Dædala] Quidquid varium & artificio-
sum est, id poëtæ vocant dædalum. Lucr. 1. *Tibi
suaues dædala tellus submittit flores &c.* De hac vo-
ce Festus: *Dædalā à varietate rerū artificiorumq;
dictam esse apud Lucretium terram, apud Ennium
Mineruam, apud Virgilium Circen, facile est intel-
ligere, cùm Græcè* δαιδάλλειν *significet variare.* Ita

Pſalm.102. dicit: *Mundi dædala machina.* Hinc δαιδάλματα opera ſunt artificioſa, Pindaro.

PSALMVS XXX.

PLectro] Vox origine Græca. Significat enim πλῆκτρον aculeum vel calcar. Vnde Ariſtophani πλῆκτρον ἀλεκτρυόνος, calcar eſt galli gallinacei. Significat etiam vox eadem radiolum, calamum, aut paxillum, quo fides, ſeu chordæ citharæ pulſantur. Vnde apud Clementem eſt, πλήκτρῳ κρούεσθαι. Poſtea etiam nomen plectri datum eſt arculo illi ſetis equinis tenſo, qui reſina illitus, & chordis ſusq; deq; affricatus, eas ſonoras facit. Accipitur & pro ipſa lingua, quæ, in formanda voce articulata, quaſi plectri officio fungitur.

PSALMVS XXXI.

AHenea] Pro ænea. Sicuti Horatius: *Hic murus aheneus eſto, Nil conſcire ſibi, nullâ palleſcere culpâ.*

Obliteror] Obliterare eſt, literas, tabulæ cereæ inſcriptas, inducere, vel chartæ inſcriptas eradere, & quaſi è monimentis delere. Item obſcura facere, & in obliuionem deducere. Catullus:

Hæc vigeant mandata, nec vlla oblitteret ætas.

Fila vitæ] Phraſis ad colum Parcarum accommodata. Significat autem, totum ſuæ vitæ curſum ſiue tenorem diuinâ prouidentiâ gubernari.

Exſpes]

Exſpes] ἀελπής, qui eſt ſine ſpe. Horat. arte Poët. *Si fractis enatat exſpes Nauibus.*

PSALMVS XXXII.

Souebam morbum ſub tacito ſinu] Congruunt cum his verſus Sedulii:

---Magna eſt medicina, fateri
Quod nocet abſcondi; quoniam ſua vulnera nutrit
Qui tegit, & plagam trepidat nudare medenti.

Cancri per æſtum] Sole ingrediente cancrum dies eſt longiſſimus, atque adeò ſolſtitium æſtiuum, quo maximi ferè calores ſentiuntur.

Lupatis] Lupatum eſt frenum aſperrimum, à dentibus lupinis, qui inæquales ſunt, dictum. Virgil. 3. Georg. *Preſſiq; negabant Verbera dura pati, & duris parêre lupatis.* Ouidius de equo domito dixit:

Et placido duros accipit ore lupos.

PSALMVS XXXIII.

CHelys] pro cithara ſeu teſtudine. Primùm enim citharam è teſtudine factam volunt. Alii ſic dici volunt aſſerem perforatum, qui in teſtudine ponticulum ſuſtinet, & ſonos repercuſſu reddit, vulgò Roſa.

Nablia] Nablium vel Naulium, ab Ebræo Nebel deducunt, qua voce inſtrumentum muſicum ſeu Pſalterium ſignificatur, ad quod Propheta regius hymnos ſuos decantabat. Meminit eiuſdem Ouid.

Disce etiam duplici genialia vertere palma.

Nablia conueniunt dulcibus illa modis. Psal. 71. dicit: *Te cithara canam Nabloq́;.* Vide Nomenclat. Had. Iunii.

Bisquinis neruis] Indicat δεκάχορδον, instrumentum musicum, à decem chordis seu neruis sic dictum.

Sinuauit orbem] in formam videlicet circularem.

Renidet] Id est, fulget. Horatius: *Non ebur neq; aureum mea renidet in domo lacunar.* Apud Catullum est ore aperto, & dentibus ostensis subridere.

Campis ætheris igneis] Id est, in ipso cœlo, stellis & sideribus lucente. poëticè. Ita Lucretius, *campos natantes,* & Virgilius, *campos liquentes* dixerunt pro mari. Sic etiam vice versa *æquor campi,* dicitur de plantitie terræ spaciosa.

Cuius à nutu viget interitq́; Quodcunque interit aut viget] Exemplum anadiploseos, seu διλογίας, quale illud Ciceronis: *Audes in horum conspectum venire proditor patriæ? proditor, inquã, patriæ venire audes in horum conspectum?*

Incassum] Dictum vult Seruius, quasi sine cassibus, sine quibus venatio inanis est. Virg. *Turne tot incassum fusos patiere labores?* Item de igni: *Incassum furit.* Aliàs cassum dicitur inane & vacuum, & quasi re aliqua carens aut vacans. Lucret. *Anima cassum corpus,* pro cadauere. Virg. *Nullum*

cum

...n victis certamen & æthere caßis.
...rretorto] Qui nunquam scilicet aliò conuerti-
...aut retorquetur. Ita Horat. od. 2. lib. 2.
Quisquis ingentes oculo irretorto spectat aceruos.

PSALMVS XXXV.

...Miculi) Diminutiuum ab amico. Horatius:
Disce docendus adhuc quod censet amiculus.
...niculum aliàs genus vestis est.
Fæx populi) Metaph. pro infima plebe: quam
...*sentinam vrbis nominat.*
Balatronibus) Balatro vaniloquum & futilē si-
...ficat, qui Græcis est λαϐραγόρης, σπερμολόγος.
...m ferè significat balatro.
Dentem dente acuunt) Id est, dentibus fren-
...nt, quod signum est iratorum & vindictam
...etentium. Psal. 113. dixit: *Dentem fatigans den-*
...ingetur.
Euax) Euge. Interiectio exsultantis, à Plauto
...oque vsurpata.

PSALMVS XXXVI.

...Iuosis montium fastigijs) Vertices enim altorū
montium etiam media æstate niuib⁹ albent.
Vitæ fonte) Deus enim fons vitæ vocatur: qua-
...dicat, plenitudinem inexhaustam, & peren-
...m scaturiginem vitæ & omnium bonorum,
...ibus totum genus humanum perfunditur. Sic
...em. 2. *Duo mala fecit populus meus, me dereli-*
...erunt scaturiginem aquarum viuentium, vt effo-

derent sibi cisternas, cisternas fractas, quæ non capiunt aquas.

Exigat tectis] Id est, expellat, eiiciat. Ita dicimus, exigere aliquem foras. Aliud est, *exigere ætatem, pecuniam, mercedem, pœnam, opus, &c.*

PSALMVS XXXVII.

I*Rævingitur*] Id est, stomachatur & indignatur. *Ringi* proprium est canum, cùm sunt latraturi.

Recula] Diminutiuum à re.

Fastidiosa copia] Quæ parit fastidium. Ex copia enim & abundantia nascitur satietas: ex satietate nausea & fastidium. Cùm interim αὐτάρκεια vili quidem καὶ ἀπορίστῳ, sed tamen mundo apparatu summa cum voluptate & sincera oblectatione fruatur.

Fœneratur] Vsuris suis alios deglubit & exsugit, quod diuitum epulonum proprium est.

Laurea] Pro lauro. Virgil. *Semper sua laurea Phœbo.*

PSALMVS XXXVIII.

L*Vridam*] Color luridus est, qualē in vibicibus videmus, à similitudine coloris luræ, id est vtris coriacei, vt Iunius putat.

Situq́ squalidus] Est enim situs αὐχμὸς ille seu squalor, qui in capite, vultu, vestitu & toto lugentium habitu conspicitur. Virgil. *Fœda situ macies:* aliàs propriè lanugo est, ex rebus putridis in locis sole carentibus enata, Der schimmel.

Vibice]

Vibice] Vibex vibicis, penultima longa, vestigium verberis aut plagæ est, in carne remanens, ... emen.

Area cruenta corporis exarati] Metaphora poëtica audacior, quam tamen epitheta mitigant. ...uti enim subiectum vomeris est area aliqua; ... subiectum flagelli est corpus hominis: & sic... per arationem fiunt sulci: ita post flagra remanent vibices.

Sulcis flagrorum] Poëticè pro vibicibus.

Viuunt] Viuere hîc est, non tantùm vita frui, ...d etiam suauiter & genialiter viuere & voluptati indulgere. Catul. *Viuamus mea Lesbia.* Cic. *...d quando viuemus.* Quasi in laboribus & molestiis quotidianis ὁ βίος homini sit ἀβίωτος.

PSALMVS XXXIX.

Eccata fontem mea miseriæ] Elegans metaphora. Peccata enim verè sunt initium & causa, & ...uasi scaturigo omniũ nostrarum miseriarum. ...cuti alius quispiam stomachum quoque corporis morborum fontem esse dixit.

PSALMVS XL.

Enibat] Pro leniebat. Ita Terent. Phorm. *Scibam*, pro sciebam. *Insanibat*, pro insaniebat.

Voragine] Vorago à vorando, est hiatus seu ...arathrum præceps & omnia absorbens, ein ...undlose tieffe.

Dulcè loquacibus] τὸ dulcè, vsurpat ἐπίῤῥημα.

πικῶς, more Græco. Ita Horatius: *Dulcè ridentem Lalagen amabo. Dulcè loquentem.* Ita Græci: ὀξὺ βλέπειν, ἡδὺ φωνεῖν.

Aurem vellis] Olim gentili quadam superstitione singulę corporis humani partes tutelę Dei, seu potiùs Deastri alicuius peculiaris consecratæ credebãtur. Ita caput sacrum erat Ioui: Neptuno pectus: cinctura Marti: frons Genio: supercilia Iunoni: oculi Mineruæ: aures Memoriæ: dextra Fidei: genua Misericordiæ: pedes Mercurio, &c. Cùm verò aures instrumenta sint auditus: & ipsum audire signum sit obedientię; qui aliquem monere, eumq; obedientiam præstare volebant, aurem ipsi vellebant, quasi aures eum expeditas habere, & attendere iuberent. Eademq; ex causa morem caput aperiendi originem habere, credibile est. Sicuti enim, qui aures inuoluit & obtegit, eo gestu indicat, se nolle audire: ita, qui auribus velum demit; eo ipso innuit, se præstò & ad audiendum obsequendumque promtum esse. Virg. Ecl. 6. *Cùm canerem reges & prælia, Cynthius aurem Vellit & admonuit.* Imò Esaias quoq; cap. 50. *Dominus*, inquit, *aurẽ mihi vellicauit diluculo.*

Tergeminis honoribus] Versus Horatii od. 1. lib. 1. Intelligit autem plausus tergeminatos. Quod Romæ in theatris fieri solitum patet ex illo Virg. 2. Georg.

---Hunc plausus hiantem
Per cuneos (geminatur enim) plebisq; patrumq;
Corripuit, &c.

PSAL-

PSALMVS XLI.

LEctulum versabit] Versare est crebrò vertere & euoluere. Horatius:

---Vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu versate diurna.

Missa cælitus vis mali] Quæ Euripidi est σύμφορα θεήλατος.

Recalcitrat] Metaph. à bobus contra stimulum calcitrantibus, aut à pullis equarum lacte saturatis: de quibus scribit Ælianus variæ historiæ lib. 4. πῶλος ὅταν κορεσθῇ τοῦ μητρῴου γάλακτος, λακτίζει τὴν μητέρα. Horatius de Cæs. August.

Cui malè si palpere recalcitrat, vndiq; tutus.

IN SECVNDVM LIBRVM Psalmorum.

PSALMVS XLII.

REducem] Redux is dicitur, qui ex peregrinatione, exsilio, vel captiuitate in patriam reuertitur. Terent. Heaut. *Tu nunc sola reducem me in patriam facis.*

Iordanis] Fluuius Palęstinæ, baptismo Christi & aliis mirandis operibus nobilissimus. Nomen habens à duobus fontibus Ior & Dan, è quibus ad radices Libani erumpentibus, & postea coëuntibus, ipse Iordanis profluit: sicuti ex Alpibus nostris Rhenus.

Tu si me placidò) Sic Horat.lib.4.od.3. *Quem tu Melpomene semel Nascentem placido lumine videris.*

PSALMVS XLIIII.

VEnum *dedisti*] Id est, venum exposuisti tanquam vendendos. Ita dicimus, *pessum dare*, quasi pedibus subiicere. Vide Psal.9.

Nec auctio te ditiorem reddidit] q.d.adeò viles fuimus, vt venum expositi emtorē non inueniremus. Est enim *auctio* venditio publica, qua sub hasta ad vocem præconis, merces sigillatim proclamantis, fiebat; in qua is, qui precium rei vendendæ maximè auxisset, hoc est, qui præ aliis maximè carè eam emere voluisset, mercem auferebat. Hinc *auctionari, auctionem facere, hastæ subiicere, in propatulo vendere*, & similia idem significant.

Vmbram ergastuli) Ergastulum propriè locus erat, vbi ergastuli, id est, serui, conclusi in vinculis & compedibus, opus faciebant, sicuti iam illi faciunt, qui ad triremes sunt condemnati. Vnde vox ea etiam pro carcere & custodia vsurpatur: cuius squalor & tenebræ nomine vmbræ hoc loco indicantur. Hinc Columellæ *ergastularius* est, qui præest ergastulis.

PSALMVS XLV.

COr *micat*] Micare est subitò & quasi per breuia interualla resplendere aut exsilire, aut subitò aliquid extendere. Hinc est *digitis micare*

lusio-

lusionis genus, quo digitis vtrinq; extentis, alter alterius numerum diuinatione assequi studet. Virg. de equo generoso: *Micat auribus, & tremit artus.* Ouid. 3. Fast.

Terreor admonitu, corq; timore micat.

Leges mollis] à mollio, mollire.

Loculis eburnis] Pro cistis eburneis.

Myrrhæ lacrymæ] Myrrha propriè nomen arbusculæ Arabicæ est, è qua amarus ille liquor myrrhæ instar lacrymæ destillat, ad prohibendas putrefactiones olim tantopere expetitus.

Stactæq;] στακτη, vt volunt, est flos seu succus, siue oleum, è cinnamomo vel myrrha incisa sudans.

Casiæ odores] Quæ aliis est canella.

Ophyre] Insula nauigationibus & auro Salomonis celebrata. Sic dicta, vt volunt, ab Ophir nepote Heberi, cuius mentio fit Genes. 10. Hanc Iosephus in India ponit, & sua ætate terram auream vocatam confirmat. Ab hac dictum volunt aurum obrisum, quasi dicat, ophyrisum.

Vndarum regina Tyros] Tyrus primò colonia Sidonis: postea metropolis Phœniciæ. talis ferè olim situ, opibus & potentia in mari Syriaco, qualis nostro tempore est vrbs Veneta in æstuariis sinus Adriatici. Quàm autem splendidæ & opulentæ fuerint hæ vrbes, patet ex 27. & 28. cap. Ezechielis.

Murice] Murex nomen piscis marini, ex ge-

nere concharum, ex quo color purpureus conficiebatur. Vnde ferè *murex* pro ipsa purpura accipitur. Psal. CIII. *Floris Tyrio comantis Murice.*

Gazisq; potentes] Gaza vocabulum origine Persicum & Germanico schatz cognatum. Sicut inter ipsas harum duarum gentium linguas magnam cognationem esse perhibent. De voce Gaza sic scribit Pomponius Mela lib. 1. in descriptione Syriæ: *Cæterùm in Palæstina est ingens & munita admodum ciuitas Gaza (sic Persæ ærarium vocant) & inde nomen est; quòd, cùm Ægyptum Cambyses armis peteret, huc belli & opes & pecuniam intulerat. Vnde adhuc thesauros magnos & regios, gazas dicimus.* Q. Curtius lib. 3. *Ante solis ortum pecuniam regiam, quam Gazam Persæ vocant, cum preciosissimis rerum efferri iubet.* Extat vox eadem in sacris literis, Esth. c. 3. 9. In Gazam regis, id est, in fiscum siue ærarium.

Pictaï] Dialysis diphthongi, pro pictæ. Vt Virgil. *Pictaï vestis & auri: Aulaï in medio, &c.* Et est hoc creberrimum apud Lucretium: apud Virgilium non item. Lucretius: *Ignoratur enim, quæ sit natura animaï*, pro animæ, &c. Item Lucilius: *Terraï frugiferaï*, pro terræ frugiferæ. ob quod, à Chrestillo quodam, antiquitatis admiratore præpostero, recitatum, ridet alicubi Martialis.

PSALMVS XLVI.

REpostas] Syncope, pro repositas. Virg. *Manet alta mente repostum. Placida compostus pace quiescit*, pro compositus.

PSAL-

PSALMVS XLVII.

[C]Lassico] Classicum accipitur pro tuba, aut buccina. *Classis* est multitudo hominum orne certo ad unata, vt in exercitu. Eius tuba vel ccina vocabatur *classicum*, quo signum prælii batur: id qui inflabat Varroni est Classicen. ruius etiam Tullus in quinq; classes destribuit p. Rom. pro modo census, seu vt quisque dis esset; vt sic, qui eiusdē census, seu τιμήματος sent, eadem quoque onera ferrent. Vnde quin- classis homines pro infimis & pauperrimis bebantur.

Docti modorum] Pro periti modorum. Ita Cic. Offic. *Literarum Græcarum doctus*.

Prætorio siderum] Metaphora, qua cælum, seu li regia aut palatium, indicatur.

PSALMVS XLVIII.

Ion] Mons vrbis Hierosolymæ, arduus & præruptus, arce Dauidis, & sepultura regum nolitatus.

Ad Arcton] ἄρκτος vrsa est. Quia autem in aga Septentrionali circa polum vrsa maior & inor conspiciuntur, à quibus etiam polus & rculus arcticus nomen habent; inde fit, vt eo so nomine plaga Borealis à poëtis indicetur. nt autem qui scribant, non in Septentrionali, d potiùs in meridionali parte Hierosolymæ on tem istum eiq; impositam arcē sitam fuisse,

PSALMVS XLIX.

QVos dies torret medio axe] Periphrasis plag meridionalis, in qua, Sole in meridiano ex istente, dies omnium sunt calidissimi.

Qui finditis solum vitreum ponti orbita niuali Circumlocutio plagæ Septentrionalis, seu zon frigidæ, vbi solum vitreum ponti, id est, mar glacies, sæpè eius crassitiei est, vt plaustra & rot sibi impressas possit sustinere.

Gazis incubas] Quod proprium est auari, po sidere scilicet, sed tamen non vti; seu κτήσις sin χρήσει. Vnde de eodem Virgil. *Defossoq; incuba auro.*

Flectet retexere] Id est, mouebit vt retex aut immutet.

Barathri] Barathrum est locus præceps & pro fundus, vnde emergi non potest; aut hiatus, na ues, aut etiam flumina absorbens. Idem fe quod vorago. Hîc pro sepulcro accipitur.

Fulgere] Penultima breui, per Systolen, mo re antiquo: quasi à fulgo, fulgis. Tum enin multa secundæ coniugationis verba in terti vsurpabant. Virg. 4. Georg. *Stridere apes vte & ruptis efferuere costis.* Ita Horatius alicubi d xit *lauere*, penult. breui, pro lauare. Ita Psalm quoq; 84. *Tu das conspicua fulgere gloria.*

Mors illacrymabilis] Quæ nec lacrymat, nec la crymis mouetur.

PSAL

PSALMVS L.

[*Gnes lumine conſcio, &c.*] τὰ ἄψυχα faciens ἔμψυχα. Intelligit Solem, Lunam & reliquas ſtellas, quas alibi nominat peruigiles.

Omnipara terra] Id eſt, omnia parientis, vel parantis. Ouid. vocauit *omniferam:* & apud Virg. eſt, *terra omniparentis alumnus.*

Holocauſta] Vox Græca, ſignificans victimam, quæ tota accenſa igni conſumebatur: ab ὅλος & καίω: vnde κέκαυσαι, &c.

Genialis] Iucundus & voluptatem genio congruentem afferens.

Qua fronte] Integráne an perfricta? Sicut Terentius dixit, *Quo ore ad eam accedam?* Os enim & frons in Latina lingua, pro pudore aut etiam pro impudentia nonnunquam accipiuntur. Vnde homo *frontis integra*, pro eo, cuius pudor & verecundia illæſa eſt, accipitur: cui contrarius eſt homo *frontis perfricta*, qui frontem perfricuit, ſeu impudens eſt.

Impatiens regi] Significat hominem μηδ' ἄρχειν μηδ' ἄρχεσθαι πεφυκότα.

PSALMVS LI.

L*Aue*] Veteri inflexione. Lauere enim antiqui dicebant penultima correpta. Horat. lib. 3. Od. 12. *Neq; dulci mala vino lauere.* Vide Pſal. 49.

Vſq; & vſq;] διηνεκῶς, id eſt, continuè, & quaſi abſq; intermiſſione. Ter. *Qui hodie vſq; os præbui.*

Sospitator] Seruator. Nam ſoſpitare eſt ſeruare incolumem, σωτήρ. Vtitur Apuleius in Apologia.

PSALMVS LV.

C*Onſili*] Vide Pſalmum x.

Intumet] Pro intumeſcit, quod frequentius eſt.

Balſamo] Nomen arbuſculæ, & ex ea emanantis vnguenti nobiliſſimi, vni Iudeæ olim conceſſi, de quo multa Plinius, lib. 12. cap. 25. Et Corn. Tacitus lib. 21. item Iuſtinus lib. 36. Eius fructus vocatur καρποβάλσαμον, lignũ ξυλοβάλσαμον, liquor ſiue oleum ὀποβάλσαμον, quod Plinio eſt oleum balſaminum.

PSALMVS LVI.

S*Vperas*] Superare crebrò pro ſupereſſe ſeu ſuperſtitem eſſe vſurpatur; apud Virg.

Quid puer Aſcanius, ſuperátne & veſcitur aura Aetherea? pro ſuperéſtne?

Qua fraude, qua vi] Ad imitationem illius Terentiani: *quo iure, quáq; iniuria?*

PSALMVS LVII.

D*Eferueat*] Metaph. à muſto, quod oportet ἀποζέσαι, id eſt, deferueſcere, antè, quàm miteſcat. Similis ratio eſt affectuum iræ & indignationis.

Adyto Olympi] Vide Pſal. 18. & 20.

Inui-

Inuicta] In nonnullis legitur infracta, pro non fracta, cùm tamen *infringere* ſit valde frangere, Virg. *Turnus vt infractos aduerſo Marte Latinos Defeciſſe videt*, infractos, id eſt, valde fractos & debilitatos.

Barbitos] & barbiton inſtrumentum lyricum eſt, plectro ſolitum pulſari, inuentum Terpandri, vel, vt alii volunt, Anacreontis. Hinc verbum βαρβιτίζειν, id eſt, barbito canere.

Lucifer excitet ignes auroræ, & aurora cantus volucrum exſuſcitet] Indicatio temporis matutini ſiue diluculi. In qua vtrobique τὸ ἄψυχον facit ἔμψυχον, ornamento bonis poëtis admodum familiari. Tale illud:

Increpat æſtatem ſeram zephyroſq; morantes.

PSALMVS LVIII.

ASpis] Genus ſerpentis: de qua vide Plin. lib. 8. cap. 23. & lib. 29. cap. 4. Ariſtoteles quoque de animalibus lib. 8. cap. 29. in Africa eam gigni affirmat, eiuſq; ictui nullum eſſe remedium. Has Cleopatra, regina Ægypti, mori volens ſibi ſcribitur admouiſſe. Torpore autem & ſomno ſaucios necabat. Cur autem vocauerit aſpidem callidam, patet ex Plinio, libro & capite primo indicato. Vbi de aſpidis ingenio ſagaci hæc quodammodo mira narrat. *Vnus*, inquit, *huic tam peſtifero animali ſenſus, vel potius affectus eſt. Coniuga fermè vagantur, nec niſi cum compare vita eſt. Itaque alterutra interempta, incredibilis alteri*

vltionis cura persequitur interfectorem, vnumq; eum in quantolibet populi agmine notitiâ quadam infestat. Perrumpit omnes difficultates, permeat spacia, nec nisi amnibus arcetur, aut præceleri fuga.

Tardigradus] Sic Plautus in Amphytr. *gradum testudineum* dixit.

Limax] Propriè cochlea nuda est, seu domunculam suam non circumferens, quamuis Columella dixerit:

Implicitus conchæ limax, hirsutaq; campe.

Scribit autem Gesnerus ex Alberto, quòd limax sale conspersus liquescat, & in aquam viscosam conuertatur.

More fœtus ante ortum pereuntis] Periphrasis ἐκτρώματος, seu fœtus abortiui.

PSALMVS LX.

DEhiscit] Dehiscere frequentatiuum ab hio est, quasi hiatu quodam se aperire. Virgilius:

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat.

Oraclis] Per Syncopen, pro oraculis.

Sichima] Sichem oppidum Sichemitarum in Samaria, non procul à Gazer, ad montem Garizim, prope quod Abraham aliquando habitauit, & vbi fuit fons Iacob.

Sucothi] Succoth oppidum trans Iordanem, non procul à torrente Iaboc, è regione Ephraim. aliud in vicinia Hierosolymæ prope Emauntem.

Syriæ)

Syriæ] Syria regio est Asiæ maioris, finitima Iudęæ, inter orientem & septentrionem, cuius metropolis Damascus, olim Aram, hodie Soria.

Moabum] Moabitæ habitarunt in regione media inter Arabiam & mare mortuum, quæ Moabitis dicta est, à Moabo filio Lothi.

Idumen] Idumæam intelligit, finitimam Iudęæ inter meridiem & occidentem, sic dictam ab Edomo seu Esauo, filio Isaaci. Lucanus 3. *Palmarum diues Idume.*

Palæstinas domos] Intelligit regionem Philistinorum, Idumęæ & mari Syriaco quasi inclusame cuius oppida sunt Acaron, Ascalon, & Gaza: sic dictam à Philisto filio Mizraïmi, nepote Chami, à quo tota illa regio, quam Israëlitæ post eiectos Cananæos tenuerunt, dicta est Palęstina.

Deperit] Deperire idem ferè, quod perire. Cic. *Schedam ne qua depereat.* Item ὑπερφιλεῖν, id est, vehementer & impotenter amare, vt quis amando quasi perire videatur.

PSALMVS LXIV.

F*Acies nouas scelerum*] Meditari nouas facies scelerum, est nouos modos & vias, & quasi formas scelerum & fraudum excogitare. Vt enim Gellius lib. 13. c. 28. inquit: *Non solùm in hominum corporibus, sed etiam in rerum cuiusquemodi aliarum facies, dicitur. Nam montis, & cæli, & maris facies, si tempestiuè dicatur, probè dicitur.*

Virosæ linguæ] id est, venenatæ, à nomine virus

Nam aliâs virosa mulier Lucillio dicta est φίλανδρος, seu appetens viri.

Perspicientia] Perspicientia, perspicacia, perspicacitas, vocabula finitima, Ciceroni quoq; vsurpata pro quadam ἀγχινοίᾳ, seu ἀγχινοίᾳ, solertia, qui ipse 1. Offic. perspiciētiam veri solertiamq; coniunxit.

PSALMVS LXV.

OPerata] Operari & facere in Latina lingua sępe idem significant, quod sacra facere. Virgil. *Cùm faciam vitulâ.* Item: *Lætis operatus in herbis.* Hinc Nonius: *Operari, est religiosè, & cum summa veneratione sacrificiis litare, &c.*

Iuga tunsa procellis] Est periphrasis scopulorum marinorum, qui à fluctibus tunduntur & verberantur. Virg. 3. Georgic.

Cùm grauiter tunsis gemit area frugibus. Item:
Gens effrena virum Riphæo tunditur Euro.

Tumultus mutare pace] Ita scilicet, vt bellis & tumultibus pax succedat. Horat. *Mutat quadrata rotundis.*

Alueus] Propriè est profunditas illa, quæ est inter vtramque fluminis ripam depressa. Vnde fluuius dicitur alueum mutare, quando aliò deriuatur.

Terræ contumacis] Eleganter & argutè τὸ ἄψυχον facit ἔμψυχον. Sicuti enim puer aliquis petulans in parentem, aut seruulus indomitus in herum est contumax: ita terra, quæ tot ligonibus & ara-

& aratris vix tandem subigitur, vt mollescat, & semini excipiundo fiat opportuna, eodem nomine contumax dicitur.

Maceras] Macerare inter alia etiam significat idem quod mollificare, aut aliquid tamdiu aquâ perfusum reponere, donec molle & tenerum, & nonnunquam salsuginis quoq; expers fiat. Hinc in Adelphis Terentii est: *Macerare salsamenta.* Eodemq; modo hîc terra dura rore & pluuiis dicitur macerari. Alia significatione vtitur hoc verbo Psal. 69. *Si macero pectora curis.* Est enim illic macerare nimiis curis seipsum attenuare & conficere.

Ebrios sulcos] Qui vino ad saturitatem vsque madidus est, ebrius propriè dicitur. Id scitè hoc loco transtulit ad sulcos agrorum, rore & pluuia imbutos & humectatos. Ita spongiam quoque aqua plenam, ebriam possemus dicere. Eodem modo loquitur Esaias cap. 55. *Descendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram, & germinare eum facit.*

Amictum messis] Sicuti enim collium & montium quasi vestes sunt arbores & virgulta; ita segetes, quæ hîc sub messe intelliguntur, sunt quasi amictus agrorum & sulcorum. Hinc Virgil. *Olea vestire Taburnum.* Item: *amicta vitibus vlmi.*

PSALMVS LXVI.

Vber agri] Vber propriè mamma est. Hîc pro vbertate & abundantia accipitur, ad imitationẽ

illorum Virgilii: *Et fertilis vbere campus.* Item *Terra antiqua, potens armis, atq; vbere gleba.* Apud Homerum quoq; est οὖθαρ ἀρούρης. Sicuti. n in corpore animalis maximè fœcunda & fertilia sunt vbera; ita partes terræ fœcundissimæ & maximè frugiferæ, eleganter hac metaphora repræsentantur. Ita Psal. CVI. *Vber feracis spreuit agri*

De Sabæo stipite] Indicat thus, sic dictum ἀπὸ τοῦ θύειν, quod est sacrificare. Est enim thus quoque gummi, seu liquor ex cortice certę cuiusdam arbusculæ, apud Sabæos Arabiæ populos destillans (Græci λίβανον dicunt: fortè à λείβω.) Quem ipsum liquorem iidem Græci vocant λιβανωτόν, à quo etiam *libandi* verbum natum esse nonnulli volunt. Sine thure enim sacrificia non fiebant. Vide Plin. lib. 12. cap. 14.

PSALMVS LXVII.

F*Remitu secundo*] Id est, fauente, & tua facta probante, & amico. Ita Sallustius dixit in Iugurtha: *Hominem oratione secunda extollit.* Vt: *Fortuna secunda, ventus secundus.*

PSALMVS LXVIII.

P*Æana*] Pæanes olim carmina dicebantur, quibus diis suis pro victoria in præliis gratulabantur. Hîc pro gratiarum actione, & beneficiorum diuinorum celebratione accipitur.

Steriles hymenæos] Poëticè, pro coniugio sterili. Græ-

li. Græcis enim Hymenæus, Latinis Talassio, Deus nuptiarum credebatur, quem passim in epithalamiis Poëtæ inuocant. Sicuti autem vulgò eum, qui libros Platonis emit, Platonem emere dicimus: ita veteres illi nomina Deorum liberaliter donis atq; operibus Deorum tribuerunt, ob vtilitatem ea honorantes atque exornantes. Sic Bacchus pro vino, Ceres pro frugibus; Hymenæus pro nuptiis passim accipiuntur.

Nilo relicto] Nilus fluuius Ægypti est, per quem ipsa regio more poëtico indicatur. Sicuti etiam Psal. LXXVIII. & Lucanus de Ægypto sic scribit:

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Iouis. in solo tanta est fiducia Nilo.

Sinæ] Sina mons Arabiæ Petreæ, in quo Decalogus pronunciatus & sancitus est.

Salmonis] Nomen montis, cuius cacumen niue candidissima fuit conspicuum.

Basan] Regio Basanitis inter fluuium Iordanem, montem Libanum, vallem Hermon & Ityræam, feracissima & amœnissima, quam, Ogo rege interfecto, Moses dimidiæ tribui Manassæ assignauit: ab ipsa pinguedine nomen habens.

Irremeabilis orci] Orcus poëticè pro inferno accipitur, in quem qui semel descendit, ei inde regredi aut remeare non licet.

Ogo] Ogus rex Basanitidis interfectus à Mose, Num. 21.

Cymbala] Cymbalum, inſtrumentum muſicum, ęreum, concauum, & tinnitum edens, olim ſacris Cybeles cum tympanis adhibitum. Meminit Cicero in Piſonem. Et Virg. 4. Georg. *Tinnitusq; cie, & matris quate cymbala circum.*

Psalmvs lxix.

Portæ ſtatione] Ebræi in portis conueniebant ad iudicia exercenda, & quaſi forum agendū. Latinis autem ſtatio inter alia quoq; locum publicum ſignificat, vbi ius dicitur. Sicuti Gellius quoque lib. 13. c. 13. nominat *ſtationes ius docentium.* Fortè etiam reſpexit locum ante curiam Romanam ſubſtructum, & conclauibus diſtinctum, vbi nationū variarum legati ad ſenatum Romanum miſſi, antè, quàm audirentur, ſubſiſtebant. Vnde apud Ciceron. epiſt. ad Q. Fr. prima, lib. 2. eſt *Græcoſtaſis*, quaſi dicas ſtationem Græcorum.

Aconita] Aconitum herba venenata eſt, à cautibus, quas Græci ἀκόνας vocant, ſic dicta. Ouid. 7. Metamph. *Quæ, quia naſcuntur dura viuacia caute, Agreſtes aconita vocant.* Et alibi: *Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ.*

Acerbant] Acerbare, eſt aliquid, per ſe ſatis acerbum, facere acerbius & atrocius. Virgil. *Formidine crimen acerbat.* Similia apud Horatium: *Clarare, inimicare, æternare.* pro, clarum, inimicum, æternum facere.

Coniſcans] Arietans, ſeu cornua cum impetu commi-

committens: quod hœdorum & agnorum lasciuientium proprium est. Lucret. libr. 2. *Et satiati agni ludunt, blandeq; coniscant.* Id quod etiam Virgil. 2. Georg. indicare voluit, his verbis: *Pingues in gramine læto Inter se aduersis luctantur cornibus hœdi.*

PSALMVS LXXI.

COntinenter] Pro continuò. Cæsar: *Belgæ cum Germanis continenter bellum gerunt*, id est, sine intermissione, συνεχῶς.

Puertia] Syncope antiqua, pro pueritię. Vtitur ea Horatius quoq; oda 36. libr. 1. *memor Actæ non alio rege puertiæ.* Ita idem dixit *valdius*, pro validius, *Lamna*, pro lamina.

Praisti mihi carmina] Verba aut carmina alicui præire, est ea priorem recitare, ita vt alii eadem denuò repetant & pronuncient. Significat ergo Propheta, se non nisi à Deo priùs sibi suggesta cecinisse, & quasi ex illius ore excepta repetiuisse; quo quidem ipso nomine magis ἀξιόπιστος est censendus, quàm alii spermologi, qui pro diuinis tradunt & inculcant, quæ à Deo non acceperunt.

Conuexa mundi] Id est, mundum conuexum. Qualia sunt: *Auia siluarum, ardua montium, &c.* Est autem conuexum, oppositum concauo, id est, globi seu orbis alicuius superficies exterior.

PSALMVS LXXII.

AMphitrite] Vxor Neptuni: poëticè, pro mari. Ne verò quis arbitretur Paraphrasten men-

tione Deæ huius profanæ & fictitiæ, carmen ho diuinum & sacrum polluere voluisse; sciendu est, ipsum Amphitrites etymon, per se natura maris, seu ipsum mare exprimere. Est enim ἀμφ circum, & τρεῖν terere. Mare enim circumquaqu terram atterit. Vnde Ouid. 1. Metamorph.

--Nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.

IN TERTIVM LIBRVM
Psalmorum.

PSALMVS LXXIII.

I*Nuida, infida*] Constructio eius loci est: Sors seu fortuna (hæc tamen homini Christiano ad diuinam prouidentiam omnia referenti nihil est) quæ aliâs cunctis est inuida, mobilis & infida, seu infidelis; istis scilicet impiis, & tamen fortunatis, seruat eundem quasi tenorem perpetua fide. quasi dicat: Fortuna omnibus aliis inuida, mobilis & infida, vnis hisce fidelis & constans est.

Opes suppeditant] Neutrum absolutum, pro suppetunt, sufficiunt, abundè satis sunt. Cicer. 1. Offic. *Suppeditant hæc ad victum*, id est, sufficiunt. Idem ad Trebatium: *Ne chartam quidem tibi suppeditare*, pro suppetere.

PSALMVS LXXIIII.

V*Itreo muro*] Intelligit aquas maris rubri diuisas, & vtrinque instar murorum vitreorum

seu

eu pellucidorum aſſurgentes, donec Iſraëlitæ tranſirent incolumes. Pſal. CIIII. mare nominat marmor vitreum. Vide Pſal. 77.

Cote dura] Intelligit petram à Moſe percuſſam, vt inde ſitientibus eliceret aquam.

PSALMVS LXXV.

V*Inculis adamantinis*] Id eſt, à nullo vnquam frangendis aut diſſoluendis. Dicitur enim adamas, quaſi ἀδάμαςος. Horat.

Quis Martem tunica tectum adamantina, &c.

Cratera] Accuſatiuus Græcus, ſicuti paulò pòſt æthera.

PSALMVS LXXVI.

C*Lypea*] Dicunt Latini hic clypeus, & hoc clypeum. Virg. Æn. 9. *Et clypeum ſuperintonat ingens.* Varro quoq; lib. 1. c. 48. partes culmi & ſpicæ explicans, nomen gladii in genere vſurpauit neutro. *Herba ea,* inquit, *vocatur vagina, vti quæ latet conditum gladium.* Ita dicimus hic baculus & hoc baculum, hic cubitus & hoc cubitum, quo etiam Liuius vtitur loco citato Pſal. 20.

Ferreo ſomno] Pro morte, quæ Homero quoq; eſt χάλκεος ὕπνος.

PSALMVS LXXVII

A*Varum auxilij*] Auarus aliâs dicitur, quaſi auidus æris. hic autem auarus auxilii eſt, qui aut negat, aut iuſto diutius differt auxilium, ſicuti diuites auari ægrè admodum & difficulter

pecuniam exponunt. Talem autem non esse Deum, hic locus docet.

Dentibus temporis inuidis] Respexit fortè hæc scribens ad illa Ouidii:

Tempus edax rerum, tuq; inuidiosa vetustas,
Omnia depr mitis, vitiataq; dentibus aui
Paulatim lenta consumitis omnia morte.

Sæcla ferarum] More Lucretiano hac voce vtitur pro genere, multitudine, sobole aut progenie. Nam & apud Lucretium sunt sæcla animantum, hominum, scriptorum. Sic enim lib. 2. *Inq; breui spacio mutantur sæcla animantum.* Qui fortè Grecum γένεαν, hoc Latino voluit exprimere. Sunt igitur hîc tot sæcla pecudum & ferarum, idem, quod tot genera & tanta multitudo diuersorum animantium & ferarum. Ita Psal. 89.

Te iure piorum sæcla hominum celebrant.

Pharij tyranni] Pharos insula est maris AEgyptii è regione Alexandriæ, à qua & mare illud Pharium, & tota AEgyptus à poëtis regio Pharia appellatur. Significatur autem his verbis Pharao, rex Ægypti. Fuit enim hoc commune cognomen omnium illorum veterum regum Ægypti, sicuti iam omnes imperatores Romani *Cæsares* aut *Augusti* appellantur. Celebratur à Plinio lib. 36. cap. 12. magnifica & altissima eius insulæ turris, cuius vsus fuerit nocturno nauium cursui ignes ostendere, ad prænuntianda vada, portusque introitum. Vnde huiusmodi turres

mariti-

[m]aritimæ in aliis quoque locis exſtructæ nomi[n]antur *Phari*. qualis ad oſtia quoq; Traui & Var[n]i apud nos videmus.

Vaſtificus fragor] Omnia vaſtans aut vaſta efficiens, qualis effectus eſt tonitruum & fulmi[n]um. Ex veteri poëta vſus eſt etiam Cicer. 2. Tu[s]ul.

Sali rubentis] Id eſt, maris rubri. Mare autem [i]llum dicitur à ſale, ſeu aqua ſalſugine imbuta. [P]tolemæus vocat ſinum Arabicum. Alii mare [E]rythræum ab Erythra rege, iuxtà habitante, vel [i]n eo ſubmerſo, dictum volunt. Nam aliâs hoc [m]are nihil colore à cæteris differre conſtat. Eſt [a]utem ſinus ille ſatis amplus, ita vt latitudo eius [n]onnullis in locis ſit duodecim aut etiam pluri[u]m miliarium Germanicorum. Vero igitur ſimi[l]e eſt, dies complures in tranſitu huius maris [c]onſumſiſſe Iſraëlitas, in tanta ſcilicet hominum [m]ultitudine. Quocirca etiam aquas huius maris [t]amdiu ſtantes, non immeritò murum vitreum [n]ominauit Pſal. 74.

PSALMVS LXXVIII.

Oboles Eſrami] Intelligit Ephraïmitas, ſeu poſteritatem Ephraïmi, filii Ioſephi, penes quam, [c]um ampliſſima & populoſiſſima eſſet, aliquan[d]iu præcipuum robur & munimentum populi [I]ſraëlitici fuit. Sicuti hîc quoque pro peritis ſa[g]ittariis celebrantur.

Dapibus dedit esse petitis] Esse, id est, edere, ab edo. Sic Virg. *Est mollis flamma medullas.* Horat. *Si quid est animum*, id est, edit, consumit.

Viduas cultoris arenas] Id est, arenas cultore destitutas, seu cultorem non habentes. Quid autem propriè sit viduus & vidua, notum est. Horat. *Viduus pharetra Risit Apollo*, id est, pharetra sua spoliatus.

Miracula plurima] Decem plagas Ægyptiorum memoriæ causa quidam his versiculis rhythmicis non plané illepidis est complexus:

Prima rubens unda: ranarum plaga secunda:
Inde culex tristis: pòst musca nocentior istis:
Quinta pecus strauit: vesicas sexta creauit:
Pòst sequitur grando: mox bruchus dente nefando:
Nona tegit solem: primam necat ultima prolem.

Bruchus] Idem cum eruca seu campe: nimirum vermis olera hortensia erodens, ein raup.

Eumenidum] More poëtico terribilem illam Dei iram, penitus in populum Israëliticum effusam, mentione furiarum, ardentibus tædis & facibus impios insectantium, voluit exprimere: quas sic per ἀφημισμὸν, seu ἀντίφρασιν dixerũt quasi minimè εὐμενεῖς, seu beneuolas. An verò carmen tam sacrum & diuinum figmentis huiusmodi poëticis adspergere rectè potuerit aut debuerit, alii iudicent.

Iugera] Iugerum Varroni ruris modus est, quem uno die iuncti boues exarare uno iugo possunt. Germ. ein juchert.

Silonis] Silo nomen montis & oppidi, distan-
s à Hierosolymis versus occasum solstitialem
no milliari Germanico: vbi antiquitus sedes ta-
rnaculi & arcæ fœderis fuit, vsque ad tempora
muelis. Situm fuit in finibus tribus Iudæ Ben-
minis, & Ephraimi.

PSALMVS LXXX.

Vnos si placido lumine videris] Vide Psal. 42.
Euphratem] Euphrates nobilissimus fluui-
 Asiæ est, tempore Salomonis limes terræ san-
æ versus orientem. perfluit idem Babylonem
etropolim Chaldææ. Vocat eundē Psal. 89. *pal-*
iferum. quòd eæ regiones palmis abundarent.

PSALMVS LXXXI.

Ona dicite verba] Quod Græcis est εὐφημεῖν.
Ouid. 1. Fast.

Prospera lux oritur, linguis animisq; fauete:
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

Pelusiacis] Pelusium Ptolemæo Ægypti vrbs
tima versus Arabiam maritima, sita videlicet
 ostium fluminis Nili, quod ab ea Pelusiacum
citur. Suidas clauem Ægypti nominat. Nunc
amiatam dici aliqui asserunt. Hîc poëticè pro
ta Ægypto accipitur.

Meribam] Massa & Meriba locus in deserto,
i Israëlitæ sitis impatientiâ in rixas, murmura
 tentationes contra Deum & Mosen erum-
unt: sic dictus à tentatione & contentionibus.

vbi posteà petra percussa largissimè aquas effu-dit. Exod. 17. Meminit eiusdem Psal. 106.

Compede Nili] Sub compede captiuitatem, sub Nilo poëticè Ægyptum intelligit, quæ irrigatur à Nilo: de quo multa Herod. lib. 2.

PSALMVS LXXXII.

R*Egum timendorum*] Idem ferè initium est odæ Horatii primę libri tertii.

Trutina] Pro statera seu libra, Græcis *τρυτάνη*, παρὰ τὸ τρύεσθαι τῷ βαρήματι, id est, quòd pondere atteratur. Horatius: *Trutina pensatur eadem.*

PSALMVS LXXXIII.

N*Abathæus*] Nabaiothus fuit filius Ismaëlis, nepos Abrahami, à quo regio seu pars Arabię terræ sanctæ finitima, versus orientem, Nabathæa dicitur. Vnde & reliqui orientales à poëtis dicuntur Nabathæi. Ouid. 1. Metamorph. *Eurus ad auroram Nabathæaq; regna recessit.*

Agareni] Ismaelitæ, incolæ Arabiæ; sic dicti ab Agare ancilla & concubina Abrahami; qui post natum Christum Saraceni à Sara libera dici maluerunt.

Gabala] Ebræis Gebal, regiuncula Arabiæ, finitima Iudææ, sedes Gebalitarum.

Amalecus] Filius Heliphazi, nepos Esaui, à quo orti sunt Amalecitæ in Idumæa, vicini Iudææ versus meridiem.

Ammon] Filius Lothi, à quo orti sunt Ammonitæ,

nonitæ, finitimi Palæstinæ, versus orientem.
Lothi posteris] Intelligit Moabitas & Ammo-
tas.
Madiana iuuentus] Madian filius Abrahami
Cethura, à quo Madianitæ vel Midianitæ, qui
rabiæ partem Moabitis vicinam tenuerunt, &
emorabili clade victi sunt à Gedeone. Iud. 6.
8.
Sisara] Dux Iabini regis Asori, victus à Bara-
o & Debora, & à Iahele vxore Heberis, dormi-
s, clauo per cerebrũ adacto, interfectus. Iud. 4.
Iabinus] Rex Chananæorum in oppido Asor
bus Naphthalimi, victus à Baracho & Debora.
dic. 5.
Cisontis] Cison fluuiolus seu torrens nobilis
lilææ inferioris, scaturiens prope Endor, ad
ontem Tabor, non procul à monte Carmelo
bi Baalitas mactauit propheta Elias) influens
mare Syriacũ, ad quem Sisara & Iabinus cum
ercitu cæsi sunt à Baracho & Debora. Iud. 5.
Lætamen] Pro fimo aut stercore, quo agricolæ
iunt lætas segetes, & quasi agros exhilarant.
itur ea voce Plinius.
Orebum] Fuit is princeps Midianitarum, à Ge-
one subactus & interfectus, Iudic. 7.
Zebum] Aliâs Zeebus, ipse quoque princeps
dianitarum, ab Ephraitis cæsus. Iudic. 7.
Zebeamq;] Aliâs Zebaho, rex Midianiticus, à
deone captus & occisus. Iud. 8.

Salmanam] Aliâs Salmunna, regulus Midia-nitarum, à Gedeone ſuperatus & cæſus.

Axis ignifer] Significat poëticè cælum ſtelli-diſtinctum & ardens.

PSALMVS LXXXIV.

ARmipotens] Exprimit Ebraicum Zebaoth, ſi-cuti paulò pòſt eundem vocat bellipotentem & Pſal. 89. vtrumque coniungit, *Armorum belli-potens*.

Creperos] Creperum, dubium & anceps eſt. Lucret. *Creperi certamina belli*. & Accius Phœ-niſſ. de auxiliis amicorum: *Quæ ego cuncta eſſe flu-xa in mea re crepera comperi*. Idem: *Nunc tu in re crepera tua quid capias conſilii vide*. Hinc *crepuſcu-lum* dicitur lux dubia, & *ſenes decrepiti*, quaſi in dubio vitæ conſtituti. Vide Non. Marcellum.

Mens ebria nimiis bonis] Summã hac metapho-ra ſaturitatem & abundantiam bonorum volu-it indicare. Significat autem ebrietatem ſobriam de qua poëta Chriſtianus: *Læti bibamus ſobriam Ebrietatem ſpiritus*. Horatius quoq; od. 37. lib. 1. Cleopatrã reginam Ægypti vocat fortuna dulci ebriam. Metaphora itidem inſigni.

Auis nuncia veris] Intelligit hirundinem, aut etiam ciconiam, de qua Virg. *Candida venit auis longis inuiſa colubris*.

Agmen aquæ] Pro aquę copia, ſeu eiuſdem flu-xu & ductu. Hinc Virg. dixit 1. Georg. *E paſtu de-cedens agmine magno Coruorum increpuit denſis*

exer

ercitus alis. Item: *Sæpè etiam immensum cœlo ve-t agmen aquarum.* Et alibi: *Leni fluit agmine Ty-is.* Et ipse Buchananus Psal. 88: *Agmen vt hyber-quod sata mergit aquæ.*

Indùlsti] Syncope, pro, Indulsisti.

PSALMVS LXXXV.

Onunt venti] Pro, desinunt, quiescunt, Virgilius:

Cùm venti posuere, omnisq́; repentè resedit Flatus.

Astræa] Poëticè, pro iustitia diuina. Ouid. *ltima cælestûm terras Astræa reliquit.*

PSALMVS LXXXVI.

Mancipatus] Emancipare est è mancipio seu dominio suo aliquid emittere, & alteri possi-endum tradere. & volunt propriè dici de liberis, icuti manumittere de seruis. Est igitur hîc spiri-us contagio corporis emancipatus idem, quod nima, per mortem à corpore segregata.

Vernaculum] Verna seruulus est domi nostræ natus, & nobis proprius. Inde *vernaculum* dici-tur, vel quod nobis est proprium, vt hîc: vel quod nobis domesticum aut quotidianum est, vt *lin-gua vernacula*, seu materna, quam quasi inter vernas & domesticos addiscimus. Horat. *Positosq́; vernas ditis examen domus.* Exod. 2.

Pudor decolor] Pudor enim natiuum colorem faciei in ruborem mutat. Ita Virgilio *decolor ætas* senectus est, in qua color faciei iuuenilis plurimùm immutatur.

PSALMVS LXXXVII.

M*Ater vrbium*] Aliâs metropolis, è qua in ali[a] loca ἀποικίαι seu coloniæ, tanquam filiæ de[-] ducuntur. Ita etiam Psal. 123. *Mater nobilis vrbi[-] um.* Pindaro est ἀστέων ῥίζα, id est, vrbium radix metaphora admodum insigni. Plinio in Episto[-] lis est ciuitas mater. *Dum*, inquit, *ciuitatis non sim alienæ, sed suarum quisq; matrum ciuitatum*, id est metropoleon. Aliâs Metropolis quoque vocatu[r] vrbs in Repub. aut regno aliquo præcipui nomi[-] nis & auctoritatis, vbi sedes & religionis, & iusti[-] tiæ, & maiestatis regiæ est. Quæ quidem tria vr[-] bem aut locum aliquem maximè efficiunt ama[-] bilem & augustum. Talis apud Iudæos fuit Ie[-] rosolyma; apud Latinos Roma.

Babylon] Aliâs Babel, mettopolis Chaldæa[e] toto olim orbe clarissima, & prima monarchi[a] nobilitata: amplitudine genti quàm ciuitati si[-] milior. Scribit enim Aristot. 3. Politic. Babylon[e] ab hostibus capta, exstitisse partem eius vrbis quæ post tertium diem id factum esse nondum senserit.

Memphis] Ægypti vrbs, ad Nilum sita, magni[-] tudine Babyloni non dissimilis, nunc Cairo vul[-] gò appellata.

PSALMVS LXXXIX.

M*Aris irati furias*] Eleganter τὸ ἄψυχον facien[s] ἔμψυχον, designat fluctus, tumultus & pro[-] cellas tempestuosi maris. *Tha-*

Thabor] Mons Galilææ, inter mare Tyberiadis, & oppidum Nazarethum, in finibus tribus Zabulonis, in quo torrens Cison suam habet originem. Abrahamo Orthelio, Cosmographo ad miraculum vsque politissimo & laboriosissimo, existimatur esse Mastois Polybii, qui quindecim stadiorum adscensum habeat, & in vertice oppidum ἀταβύριον. Egesippus lib. 4. cap. 4. de excid. Hierosol. in extremo etiam meminit montis Galilææ Thabirii, cuius altitudo triginta sit stadiorum, vertex autem ipse campestris stadiorum viginti trium, & qui ipse quoque cum tota Galilęa in potestatem Romanorum tum deuenerit.

Hermon] Pars est montis Libani, quæ versus Orientem porrigitur, & regnum Basanitidis à Cœlesyria dirimit, stringens Galilæam à septentrione & ortu.

Sidonio murice] De murice seu purpura Psal. 45. diximus. Hic autem purpuram Sidoniam vocat, quòd mare Syriacum, Tyrum & Sidonem alluens, purpuræ admodum ferax & fœcundum esset. Est autem Sidon vrbs Phœniciæ antiquissima, in littore maris Syriaci, inter Berithum & Sareptam, in finibus Palæstinæ, versus septentrionē sita; sic dicta à conditore Sidone, qui fuit filius Canaani, & patruelis Nimrodi, Genes. 10. quamuis à piscium vbertate sic dictum velit Iustinus lib. 18. Nam pisces inquit Phœnices Sidon vocāt.

Mors illacrymabilis] Vtpote quæ est ἄδακρυς,

mmisericors, &, vt Plautina voce vtamur, *sicco-cula*, & simul ἀμείλιχος, id est, nullis lacrymi[s] mouetur. Tribuit hoc epitheton Horatius Plu-toni, od. 14. lib. 2.

Christi] Christus Græcis idem est, quod Ebræ-is Messias, & Latinis vnctus, quòd IESVS CHRI-STVS ab æterno Patre plenitudine Spiritus sanc[ti] vnctus, sit summus propheta, doctor, pontifex & rex Ecclesiæ suæ. Isti enim omnes oleo certo vng[i] & inaugurari solebant.

IN QVARTVM LIBRVM Psalmorum.

PSALMVS XC.

ABusq;] ὕστερον πρότερον, pro, vsque à primi[s] sæculis.

Comis arefactis] Poëtæ herbarum folia & fron-des metaphoricè comas nominant. Sicuti enim caluities hominis caput deformat, & contrà ca-pillitium seu cæsaries eiusdem est ornamentum: ita in foliis & frondibus plantarum, quasi decu[s] & pulcritudo earum consistit, quibus hyberno tempore spoliatæ, quasi caluitiem quandam præ se ferunt. Vt denique capillitium tonderi dicitur, cùm crines resecantur, ita arbores, quibus fron-des & folia amputantur, dicuntur tonderi. Ho-rat. *Duris vt ilex tonsa bipennibus.*

Vitiant

Vitiant amaro] Videtur hæc ſcribens Lucretiana illa reſpexiſſe: *Medio de fonte lepôrum Surgit amari aliquid, quod in ipſis floribus angat.* Ineſt enim voluptati quiddam γλυκύπικρον, ſeu dulcacidum, quod dulcem curis miſcet amaritiem.

Citatis alis] Pro concitatis & vehementiſſimè agitatis.

Ver iuuentæ] Pulcerrima metaphora. Sicuti enim in anno, qui totus pulcer eſt, pars amœniſſima & pulcerrima eſt ver; ita in vita hominis pars optima & florentiſſima eſt ætas iuuenilis. Et ſicut tempus vernum quotannis celerrimè effluit; ita vigore quoque iuuenili nihil eſt velocius aut fugacius. Hinc anni iuueniles etiam vernantes à poëtis appellantur.

Inquies] Genere neutro, pro, inquietum. Salluſt. *Humanum genus inquies & indomitum.*

Deſine irarũ] Pro, deſine aut deſiſte ab ira, more Græco, apud quos verba deſinendi & abſtinendi adſciſcunt genitiuum. Iſocrat. λῆγε τῶν πόνων, ἐπὶ πονεῖν δυνάμενος. Hinc Horat. quoq; oda 9. lib. 2. dixit: *Deſine mollium querelarum.* & oda 27. lib. 3. *Abſtine irarum, calidæq; rixæ.*

Cedat & lætis] Huius & trium ſequentium verſuum hæc eſt conſtructio: Et luctus viciſſim fugiens, cedat lætis: & modus voluptatis par labori exacto, id eſt, finito, ſubiens, mitiget amarum æuum. Petit enim, vt tempus ſubſequentis

lætitię & prosperitatis, durationi præteritæ mœstitiæ & ærumnarum par sit.

PSALMVS CXI.

DVelli] Pro belli, more antiquo. Vt, Horat. *Pacem duello miscuit.* Aliâs pro singulari quoque duorum certamine, quod Græcis μονομαχία est, accipitur. vt in hymno Ecclesiastico: *Mors & vita duello conflixere mirando, &c.* Homero bellum χάρμη dicitur per antiphrasin, quòd nihil habeat gaudii: vt Latinis bellū, quòd nihil in eo sit belli.

Exsors] Quasi sine sorte, expers, immunis, ἄκληρος. Horat. de cote: *Exsors ipsa secandi.* Sic Psal. 143. *Si lucis exsors dego.*

Libycæ leænæ] Lybia Ptolemæo, Virgilio, & aliis pro tota Africa accipitur, in qua leones generari etiam Horatius innuit sic de Mauritania canens. *Nec Iubæ tellus generat leonum Arida nutrix.* Est enim Iubæ tellus, seu regnum Mauritaniæ, pars Africæ.

Seræ senectæ tempora suauiter] Pollicetur nimirum Deus, seriò se colentibus ἀγήρειαν, id est, commodā, & morbis non ita obnoxiā senectutē.

PSALMVS CXII.

CRudo robore] Ita Virgil. 6. Æn. de Charonte: *Sed cruda Deo viridisq; senectus.*

Ceu palma] Quomodo palma oneri imposito renitatur, patet ex Plinio lib. 16. c. 42. vbi de materiis architecti, earumq; firmitate agit. Verba hæc

hæc ſunt: *Et palma arbor inualida, in diuerſum enim curuatur. at populus contra omnia inferiora pandatur, palma è contrario fornicatur.* Quod etiam teſtatur Xenophon pæd. Cyri lib. 7. καὶ γὰρ δὴ πιεζόμενοι οἱ φοίνικες ὑπὸ βάρους ἄνω κυρτοῦνται, ὥσπερ οἱ ὄνοι οἱ κανθήλιοι. Propterea palma ſymbolum victoriæ habetur, cuius etiam hoc proprium eſt, vt folia eius nunquam decidant.

Cedrus] Arbor perpetuò virens, odorata, ſpecioſa, quam ſcribunt non curuari, ſed ſuum retinere rigorem: teredines & tineas non gignere ex ſe, neq; aliunde allatas alere: parietes denique nimio pondere non onerare. Vnde patet, cur Salomo, Dei inſtinctu, ex hoc potiſſimùm genere ligni templum Domini ædificare voluerit. Imò Vitruuius & alii referunt, etiam templi Dianæ Epheſiæ, & ſimulacri ipſius Deæ materiam cedrinam fuiſſe. Aiunt quoque, è cedro & ſimilibus arboribus vltrò quandoq; humorem guttarum inſtar excerni, quo fit vt huiuſmodi ſtatuæ indoctis & ſuperſtitioſis non ſine miraculo ſudare videantur. Cùm tamen ſecundum naturam idipſum fiat. Ex eadem cedro reſina ſeu liquor quidã prouenit, quæ cedria & κεδρέλαιον dicitur, cuius ea vis eſt, vt defuncta corpora conſeruet, & viuentia corrumpat, teſte Dioſcoride lib. 1. cap. 89. Materiæ verò ipſi æternitas, vt Plin. Itaque & ſimulacra Deorum ex ea factitarunt. *Et cedro digna* dicuntur, tabulæ, libri

& alia, quæ immortalitatem promerentur, & talia esse censentur, quæ posteritati debeant consecrari. Cedri enim succo illita à vermibus & carie erant immunia. Hinc Horatio sunt *carmina linenda cedro.* Et apud Persium est *Cedro digna locutus.* Sicuti apud Virgilium in 6. quoque, Poëtæ egregii sunt, *Phœbo digna locuti.*

Libani iugo] Tota illa regio montosa, quæ est inter mare Syriacum, & vrbem Damascum, Palęstinæ finitima, versus Orientem & Septentrionem, nominatur Libanus, cedris & aliis arboribus altissimis olim nobilis. Eius pars est mons Hermon, de quo Psal. 89. Nomen habet à candore niuium, quibus vertices altorum montium perpetuò teguntur. Laban enim Ebræis idem est, quod nobis candidum. Vnde & *Alpes ab albedine* dictas volunt.

PSALMVS XCIV.

P*Arente cassos*] Quos aliâs dicimus orphanos aut parentibus orbos. Est enim *cassum* inane aut vacuum, aut re aliqua carens. Virgil.

Nullum cum victis certamen & æthere cassis.

Veternum] Morbus, qui Plauto est veternus, Celso lethargus est, marcor scilicet, & inexpugnabilis propè dormiendi necessitas, die schlaffsucht. Aliâs accipitur pro incuria & negligentia supina.

PSALMVS XCVII.

C*Ontinens*] Continens Plinio terra est, quæ absq; marina nauigatione, commeatum patitur in

tur in tres mundi partes: aliàs terram firmam dicimus. Græci ἤπειρος.

Cæli cardini] Cardo propriè ſuſtentaculum illud eſt, à quo ianua dependens mouetur. Virgil. *Foribus cardo ſtridebat ahenis.* Hinc vocabulum transfertur ad duos vertices, ſeu polos cæli immobiles, circa quos cælum reuoluitur, alterum arcticum, ſeu ſeptentrionalem, alterum antarcticum, ſeu meridionalem: quorum prior Ouidio eſt cardo mundi,

Qui ſemper liquidis altior exſtat aquis.

& de vtroq; Virgil.

Hic vertex nobis ſemper ſublimis. at illum
Sub pedibus ſtyx atra videt.

Inanes mentis ſtipites, & picti ludibria trunci] Periphraſes elegantiſſimæ idolorum.

PSALMVS XCIX.

T*Errificet*] Terrorem pectoribus incutiat. Verbum à Lucretio & Virgilio vſurpatum. Virg. 4. Æn. *Cæciq; in nubibus ignes Terrificant animos.*

Salubri] penultima breui. συστολή.

Pila tereti nubis] Pila propriè columna, non teres, ſed quadrata, quæ Saxonibus quoque eſt ein Piler. Hîc ſignificat columnam nubis, quæ patribus in deſerto dux itineris fuit, & è qua reſponſa accipiebant.

PSALMVS CII.

C*Vculus*] Aliis eſt Onocrotalus, ſeu Truo per deſerta mugiens. Dictus eſt autem Onocro-

talus à ſtrepitu aſini. Auis eſt palmipes, magnitudine & colore ſimilis cygno: cuius roſtrũ magnum, prælongum ac validum, ex cuius inferiori parte ingluuies, ut gutturoſis, latioris ſacculi inſtar ante pectus propendet. Pedes coloris cinerei dura pelle contecti. Plin. lib. 10. cap. 47. Olorum ſimilitudinem onocrotali habent: nec diſtare exiſtimarentur omnino, niſi faucibus ipſis ineſſet alterius vteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira vt ſit capacitas. Mox perfecta rapina, ſenſim inde in os reddita, in veram aluum, ruminantis modo, refert.

Deproperant] Id eſt, valdè & feſtinanter properant. Verbum à Plauto & Horatio vſurpatum.

Trifidum ſolum] Antiquitus enim totum orbem terrarum in tres partes primarias diuidebant: nimirum in Aſiam, Africam, & Europam. Quibus patrum ætate acceſſit quarta, America, ab Americo Veſputio, primo eius inuentore, ſic dicta. Eſt autem *trifidum*, quod in tres partes vel fiſſum eſt, vel findi aut diuidi poteſt.

PSALMVS CIII.

GAditano cubili] Gades, inſulam & vrbem ſitam inter ſinum Gaditanum & Oceanum Atlanticum extremum verſus occaſum noti orbis terminũ credidit antiquitas. Inq; ea columnæ Herculis celebrantur. Sicuti & poëtæ fabulantur, hîc Solem diurno labore feſſum Oceano ſe immergere, atque requieſcere. Vnde *Solisq́; cubilia*

lia Gades, dixit Statius. Quem hîc Buchananus videtur imitatus. Nautæ etiam hodie extremum huius insulæ promontorium Finem terræ nominant. Celebratur scriptio nõ inelegans, quam o in loco repertam ferunt.

HELIODORVS INSANVS CARTHAGINIENSIS AD EXTREMVM ORBIS SARCOPHAGO TESTAMENTO ME HOC IVSSI CONDIER, VT VIDEREM, SI ME QVISQVAM INSANIOR AD ME VISENDVM, VSQVE AD HAEC LOCA PENETRARET.

Hispani adhuc vocãt Cadiz, vel Caliz. Eius insignem descriptionem dedit Abramus Ortelius, in tertio Theatri Orbis additamento: vnde hæc ferè desumta sunt.

Meretis] Merere sub imperatore stipendia, est expeditionis alicuius socium esse, & militiam exercere: quod aliàs est stipendia facere. Vnde Sallustius rei bellicæ ignarum vocat *hominem nullius stipendij*. Hîc de Angelis, Deo quasi militantibus, vsurpauit.

PSALMVS CIIII.

T*Entoria cæli*] Tentoria, sub quibus miles contra iniurias cæli se occultabat, antiquitus aut è velis erant extensis, quæ alii *papiliones* vocârũt: aut è tabulis consertis, quæ Cæsari sunt *tabernacula*: aut etiam è pellibus, quæ *tentoria scortea* dixerunt. Vnde est *sub pellibus hibernare*. Scortea

etiam apud Martialem ſignificat pallium pelliceum contra pluuias. Sic enim ille:

Ingrediare viam cælo licet vſq; ſereno;
Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.

Hîc autem vocabulum tentorii eleganter ad cæli firmamentum latiſſimè expanſum transfertur.

Lymphas] Lympha poëticè pro aqua.

Onager] Aſinus ſilueſtris eſt, curſu equos facilè ſuperans, cuius carnes, niſi quòd molliores ſint, nihil à ceruina differunt. Abundat gregibus onagrorum Arabia, vt ſcribit Xenophon de Cyri minoris expeditione lib. 1. meminit eorundem Plin. lib. 8. cap. 4. vbi Phrygiæ & Lycaoniæ præcipui onagri adſcribuntur. Petrus quoq; Angelius Bargæus in Cynegeticis lib. 3. verſibus his elegantiſſimis deſcribit onagros:

At ſonitu ingenti putrem quatit vngula campum
Cornea, venantem quoties fugêre: ſuiſq;
Temporibus ſtant longæ aures: tum corpore ceruos
Exſuperant: nec lana nitet non alba colore,
Mixta nigro, ceu cùm nubes denſentur opacæ,
Et totum eripiunt oculis cælumq; diemq;.
Nigraq; per medios decurrit tænia lumbos:
Linea quam clunes tractim comitatur ad imos:
Vtraq; diſtinguens niueo ſua tergora ductu.

Idem onagros Indicos, qui nobis ſunt vnicornes, deſcribit Cyneget. lib. 2.

--quos

---quos India paſcit onagros,
Cum primùm niueo corpus candore teguntur
Infecti Aſſyrio circum caput omne colore:
Cæruleis oculis: vnoq́; in fronte ſuperbi
Cornu, quod reges Indorum protinus aureis
Orbibus includunt, & vina liquentia potant.
Ac tum nec morbos tuti ſentire feruntur,
Nec, quæ inter menſas occulta hauſêre venena.

Quos ipſos verſus cùm ſcriberet, reſpexit procul dubio locum Cteſiæ, qui eſt in Indicis. Aſinos, *inquit*, ſylueſtres habet India equis pares, quoſdam & maiores: quibus caput purpureum, oculi cærulei, reliquum corpus eſt album. Cornu illis in fronte cubitalis magnitudinis, cuius inferior verſus frontem pars duorum palmorum ſpacio ſit candidiſſima: at ſuperior, quæ in acutum tendit, punicea ſit, ſummum ruborem adiunctum habens: pars autem media ſit nigra. Ex his pocula conficiuntur, è quibus qui bibunt, nec ſpaſmo, nec ſacro morbo corripiuntur: ſed nec venena vllam in eos vim habent, ſi modò vel antequam illa hauriant, vel poſtquam hauſerint, aquam aut vinum, aut aliud quidpiam ex illis poculis bibant.

Tranant] Traiiciunt, peruolant. vt ſup. Pſalm. VIII. *Quiq́; pennarum celeri volatu Metitur ales aëra*, id eſt, tranat.

Cerealia munera] Pro frugibus. Poëticè. Ceres enim Dea frugum à poëtis fingitur, quam tamen Dauid prorſus ignorauit.

Genitabilis humor] Pro genitali, è quo aliquid gignitur. Cic. in Arato: *Solers natura & rerum genitabilis ordo* Reperitur & apud Varronem, & inprimis apud Lucretium. Sic Virgilius dixit *penetrabile frigus*.

Genitabilis aura Fauoni. Apud quem etiam sunt *aduersabilis, & ærumnabilis.*

Alitibus] Vide Ales. Psal. VIII.

Echinus] Aliàs erinaceus: quorum duæ sunt species: alii enim rostro porcum, alii canem referunt: *quarum vtraque tergus Vndiq;, quàm magnum, spinis vallatur acutis.* Et vbi periculum imminet, quasi in orbem se colligit, vt globum quasi hispidum repræsentare videatur: Sicuti eleganter de iis quoque Angelius Cyneget. 4. vbi etiam naturam & furta huius animalculi graphicè pingit, versibus hisce lepidissimis:

Ergo vbi lapsa iacent sua quæq; sub arbore poma;
Accedunt læti, seq; in sua terga volutant,
Donec fixa rubis hærentia mala supremis
Exportant: impletq; penum liuentibus vuis;
Quarum acinis quoties sentes onerantur acutæ,
Periucunda sui præbent spectacula nobis.
Quippe humeros tecti sic ingrediuntur, vt ipsæ
Ire putes totos auulsos vite racemus.
Ah, tibi ne cupidos sensus tum tangat habendi
Tantus amor, furem vt tentes arcere iocosum,
Atq; oculos durus iucundo auertere ludo,
Eripere & natis dulcem expectantibus escam.

Didis]

Didis] Didere verbum poëticum elegans, pro distribuere, digerere. Lucret. lib. 2.

Dum facilè in venas cibus omnis diditur,

Horat. *Albuti senis exemplo dum munia didit.* Componitur vel à dis & do, vel est contractum à diuido.

Grandia cete] τὸ κῆτος Græcis balæna seu bellua marina est. Hinc κήτη in numero plurali, à quo Latinum cete, eâdem significatione, pluralis numeri tantùm. Hinc Virg. *Et monstra immania cete.* Eodem modo *mele & pelage*, pluraliter vsurpauit Lucr. 5. *Propter Atlanteum littus pelageq; seuera.* Item lib. 2. *Et cycnea mele.* Et eodem pertinent *frigida tempe.* Virgilii.

Vitreo marmore] Pro mari. Sicuti & Virgil. 1. Georg. *Infidum remis impellere marmor.*

PSALMVS CV.

C*Hananæa arua*] Regio hæc posteris Abrahami diuinitùs promissa sic, vel etiam Chananitis dicta est, à Chanaano, filio Chami, nepote Nohæ. Eius enim progenies hanc terram incoluit primò, quam postea Chananæis eiectis duce Iosua occupârunt Israëlitæ. Regio eadem cum Palęstina, quæ longa fuit XL. milliaria Germanica, lata XII. teste Hieronymo.

Filium Rachelis] Periphrasis Iosephi, filii patriarchæ Iacobi, quem ille ex Rachele filia Labanis procreauit.

Mango] Mango hîc idem eſt, qui Calliſtrato I. C. plagiarius, qui homines viuos aut emit, aut furatur. Tales erant Iſmaëlitæ Ioſephum à fratribus ſuis ementes xx. ſiclis argenteis.

Inquilinus incolas] Inquilinus hîc opponitur indigenæ ſeu ciui, aut patritio, qui Græcis eſt αὐτόχθων ſeu ἐγχώειος, ſiue etiam πολίτης, quem hoc loco vocat incolam; quales tum erant Ægyptii. Significat enim vox Inquilinus aduenam, ſeu peregrinum, licet etiam habitet in empto, & proprio. Ariſtoteli in principio 3. Politic. eſt μέτοικος: quales in Ægypto tum erant Iſraëlitæ, eodem nomine aliàs dicti Ebræi, vt docuimus Pſal. 28. Patet hoc ex Salluſtio, vbi Catilina in ſenatu ſe excuſans inter alia, *Ne,* inquit, *exiſtimate mihi homini patritio perdita rep. opus eſſe, cùm eam ſeruet M. Tullius, inquilinus ciuis vrbis Romæ.* Aliàs Inquilinos quoque Appianus lib. 2. ἐμφυλ. Καλοῦσιν inquit τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν ἀλλοτρίαις οἰκίαις. Sicuti quoque aliquando inquilinus Ciceroni eſt, qui alienam domum incolit, aut in alieno priuatim habitat. Græcis ἔνοικος. Vnde Ciceroni in quadam ad Atticum epiſtola ἐνοίκιον eſt locarium, ſeu precium conductæ domus.

Bruchus] Vide Pſal. LXXVIII.

Imber alitum] Coturnicum maxima copia, inſtar imbris in terram decidens.

Pelu-

Pelusii] Vide Psal. LXXXI.

PSALMVS CVI.

[*Vgiter*] Vide Psal. XIX.

Sali] Vide Psal. LXXVII.

Vorticoso] Vox à Liuio quoque vsurpata, descendens à vortice seu vertice, qui est aqua in se contorta, & in orbem acta, qua in parte maria & flumina ferè sunt profundissima, **ein wirbel.**

Gurgite] Gurges quoque profundus in mari vel flumine locus est, vbi aqua in gyrum agitur, & iniecta attrahit & absorbet. Nostris nautis **ein kolck.**

Horebi] Horebus vel Orebus, pars vel appendix est montis Sinai, in quo leges Decalogi latæ & sancitæ sunt.

Moses carum caput Deo] Pro homine, Deo carissimo. in Latina enim & Græca lingua *caput* tanquam primarium corporis membrum nonnunquam pro toto homine vsurpatur. Vt Horat. *Quis desiderio sit pudor aut modus Tam cari capitis?* Et Propert. lib. 4. *Nec te dulce caput mater Scribonia læsi.* Ita apud Homerum: Τεῦκρε φίλη κεφαλή. Et Plato in Phædro. φαῖδρε, φίλη κεφαλή. Sicuti etiam Euripides de malo homine dixit: ὦ κακὸν κάρα.

Niloticis] Vrbes Niloticæ sunt vrbes Ægypti; sic dictæ à Nilo, de quo suprà Psal. LXVIII.

Phineas] Filius Eleasari, nepos Aaronis, qui in-

dignatione commotus, Iſraëlitam cum ſcorto Madianitide interficit, eóque ſtrenuo facto iram Domini iam efferueſcentem reprimit. Qua de cauſa ſacerdotium perpetuum ei poſterisq; eius promittitur. Num. 25.

Meribæ] Vide Pſal. LXXI.

Sortis flebilis vel hoſtibus] Inſignis amplificatio miſeriarum, quas valde magnas lactuoſas & intolerabiles eſſe neceſſe eſt, ſi hoſtibus vltionis & vindictæ potiùs quàm commiſerationis cupidis lacrymas debeant elicere. Eadem amplificatione vſus eſt Virgilius, cùm diceret: *Vel Priamo miſeranda manus.* Item Claudianus: *lugenda Getis & flenda Süeuis Hauſimus: ipſa meos horreret Parthia caſus.* Vide Pſal. CXXIX.

IN QVINTVM LIBRVM *Pſalmorum.*

PSALMVS CVII.

PHæbus] Poëticè, pro ſole. Eſt enim Sol φῶς βίυ, id eſt, lux vitæ. Vnde aliqui nomen Phæbi deductum volunt.

Arctoæ campis glacialibus vrſæ] Intelligit partes terræ ſeptentrionales, vrſæ maiori & minori ſubiectas, vbi maius & penetrantius, quàm in reliquis mundi partibus, frigus eſt.

Mare ſulcat] Poëticè, pro, nauigat. Sicuti enim per campos aratro ducto relinquitur ſulcus, linea

ra rectissima; ita in mari quoq; nauis, acta ven- is secundis, rectissimo cursu procedit: Et quod atori est stiua, id nautæ est gubernaculum.

Carinis] Pro nauibus, pars pro toto. Ita Oui- ius rotam pro curru dixit:

Si rota defuerit, tu pede carpe viam.

Venti ponunt] Vide Psal. 85.

Bullantibus] Bullare est Bullas facere. Verbum Plinio vsurpatum, qui aquas & vrinas dixit ullantes, id est, bullis intumescentes.

PSALMVS CVIII.

D*Ecempeda*] Pertica, δεκάπυς, seu decem pe- dum, cuius vsus erat in dimensione agrorum, in meßruht. Cicero pro Milone: *Qui cum archi- ectis & decempedis villas multorum hortosq; per- grabat*. Vnde eidem Ciceroni *decempedator* dem est, qui Græcis γεωμέτρης.

Arua tondet pecude] Pro, depascit.

Arua secat vomere] Pro, arat.

PSALMVS CIX.

A*Spris*] Pro asperis, more Horatiano, vbi etiam legas *valdius*, pro validius: *puertia*, pro pue- ritia: *surpite*, pro surripite: quod etiam attigi- mus Psal. 71.

Exspes] Vide Psal 31.

Tectis frondeis] Pro arboribus, quæ auibus ni- dos & latebras præbent, sicut tecta ædificiorum hominibus.

PSALMVS CX.

ARgenteis gemmulis] Allegoria, pulcerrimis metaphoris, & formam, & colorem, & pulcritudinem roris matutini venustissimè repręsentans. Non dissimilia habet Psal. 133.

Sacramento] Pro iuramento. Est autem sacramentum propriè solenne iuramentum militare, quo milites fidem suam imperatori adstringebant. quod quale fuerit, patet ex his verbis Vegetii, quæ exstant lib. de re militari secundo, cap. 5. *Milites scripti, & matriculis inserti, iurare solent. Et ideo militiæ sacramenta dicuntur. Iurant autem per Deum, & Christum, & Spiritum sanctum, & per maiestatem imperatoris, &c. omnia se strenue facturos, quæ præceperit imperator: nunquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Romana republ. &c.* Hinc Cæsar lib. 1. bel. ciuil. *Milites Domitianos sacramentum apud se dicere iubet.* Miles autem hoc sacramento obstrictus, auctoratus; eodem liberatus, exauctoratus vocabatur. Accipitur etiam aliàs pro quouis iuramento. Horat. od. 17. lib. 2. *Non ego perfidum dixi sacramentum.* Dictum est autem sacramentum à sacrando, seu consecrando, quòd eo iuramento quis consecretur, & quasi addicatur huic vni imperatori, non alii, ad seruiendum.

Melchisedecis] Quasi dicas, regis iustitiæ. Volunt autem hoc cognomen fuisse Semi filii Nohæ, qui habitauerit in Salem (quæ postea fuit

Hie-

Hierosolyma) & præcipuus doctor & gubernator Ecclesiæ sui temporis fuerit. Ex hoc autem Psalmo, & ex septimo cap. epist. ad Ebræos patet, magnum hunc Melchisedechum typum fuisse Christi, sacerdotis æterni. Dicitur enim sine patre, sine matre, sine genealogia, neq; initium dierum, neque finem vitæ habens, manere sacerdos in perpetuum: sicuti etiam filius Dei non tantum sine patre ex virgine, sed etiam sine matre ex Deo natus, sine dierum initio extitit, antequam ex matre virgine carnem assumeret: neque vllum vitæ finem est habiturus. Et hic verè est æternus ille sacerdos, qui purissima victima (nimirum seipso) semel patri oblata, suos in æternum Deo reconciliauit.

Sacrorum antistitem] Id est, summum aut primarium sacerdotem: Sic dictum, quòd cæteris antestet aut antecellat. Cicero quoque *Antistites ceremoniarum & sacrorum* nominat in oratione pro domo sua. Ab hoc deductum fœmininum Antistita, pro primario sacerdote, vsurpatur à Plauto & Cicerone. Aliàs antistes in genere quoque dicitur is, qui in re aliqua excellit aut primas tenet. Ita Seruius Sulpitius appellatus est *Antistes Iuris*; Plato *Antistes sapientiæ*.

PSALMVS CXI.

INterlita fuco] Ab interlino, ich schmier dazwischen, compositum à lino, leui, litum.

Aliàs fucus propriè infectum eſt, ſimile quidem api, ſed maius, ſeu apis potius imperfecta, carens aculeo, non mellificans, ſed mel aliarum ſtrenuè deuorans. *Immunisq; ſedens aliena ad pabula fucus*, vt de eo Virgilius. Vnde etiam Varro furem vocat. Et per metaphoram fuci dicuntur otioſi, & ignaui ventres, aliorum tantùm fruges conſumere nati. Aliàs etiam accipitur pro colore, quo lanæ & panni inficiuntur, vt, præter naturalem, alium colorem nanciſcantur. Item pro medicamento, ſeu lenocinio, quo facies pingitur, vt ſpecioſior videatur, quàm reuera eſt: Græcis φῦκος, καλλώπισμα, καλλιβλέφαρον, qua ſignificatione hîc vſurpatur.

PSALMVS CXII.

DEntem fatigans dente] Frendens. periphraſis. Vide Pſal. XXXV.

PSALMVS CXV.

MAſſa è ſequaci bracteas] Quæ ſcil. ictu malleorum diduci & dilatari poteſt, & quæ, dum mouetur aut plicatur, crepitat. huiuſmodi enim laminæ ſeu lamellæ potius tenuiſſimæ, Latinis bracteæ appellantur. Virg. 6. Æn. *Leni crepitabat bractea vento.*

PSALMVS CXVI.

POlliciti tenax] Seruans promiſſorum. Sicut Horatius *Iuſtum & tenacem propoſiti virum* vocat integrum & conſtantem.

Damna-

Damnatus voti] Quod postea dicit, reus voti. Qui enim voto facto aliquid se præstiturum promisit, ille tamdiu obligatus, & quasi damnatus atque obstrictus est, donec voto soluto seipsum liberet. Virg. *Damnabis tu quoq; votis.* Pro quo Iurisconsulti veteres dicebant, *Damnas*: vt, Damnas esto, id est, obligatus ad hoc vel illud faciendum.

PSALMVS CXVIII.

Icebit] Pro, licet, aut quamuis. Ita Martialis lib. 7. *Sint astra licebit, Non deerit populo te veniente dies.* Imò Horat. Epod. 15. *Sis pecore & multa diues tellure licebit.*

PSALMVS CXIX.

Doctior doctoribus] Insignis aliquid reipsa amplificandi modus, per comparationem. Qui enim præstantibus in re aliqua præstantior est, eius præstantiam verosimile est minimè esse vulgarem. Talia sunt illa Virgiliana & Horatiana: *Formosi pecoris custos formosior ipse. O matre pulcra filia pulcrior!*

PSALMVS CXX.

Cythæ] Scythia complectitur regiones & gentes amplissimas & populosissimas tam in Europa, quàm in Asia versus septentrionem habitantes, in quibus etiam sunt Mesechitæ, quorum Psalmus meminit, sic dicti à Mesech, filio Iapheti, à quo gens illa propagata est. Mesech, id est, tendens arcum. quo etiam nomine Scythæ

hoc loco celebrantur. Vox autem Kedaræorum, quæ in Ebræo eſt, deducitur à Kedar filio Iſmaëlis, à quo dicti ſunt Kedarei vel Kedareni populi Arabiæ, quos poſteri Saracenos appellauere. Nomen habent à nigredine, vt quodammodo ſimul doleat Dauid, quòd ſibi conuerſandum ſit cum nigris, id eſt, improbis & ſceleratis.

Quam ſilua flagrat] In fontibus Hebræis lingua hæc virulenta & doloſa nominatim comparatur carbonibus iuniperorum. Scribunt autem de materia iuniperi accenſa, quòd mirum in modum adurat, & ignem vel ad integrum annum foueat, modò cinere cooperiatur. De eadem Plinius ſcribit, quòd ſerpentes ipſam fugiant, ideoq́ue etiam homines eò tutius ſub ea quieſcere poſſent, quod de Propheta Elia perhibetur: 1. Reg. 19.

Mapalia & Magalia] Propriè ſunt tuguria Maurorum & Numidarum agreſtium, oblonga incuruis lateribus tecta, quaſi nauium carinæ, vt Salluſtius ea deſcribit in Iugurtha.

PSALMVS CXXV.

SI *fractus*] Deſumſit hæc ex oda 3. libr. 3. Horatii.

Mœnia montium] Sunt enim montes, vrbem aliquam circumdantes, eius quaſi munimenta & mœnia. Ita Pindarus Olymp. od. 8. regionem mari ſeptam, vel inſulam vocat, ἁλιέρκεα χώραν.

Præ

Præsidio viduos] Præsidio destitutos. Vide Psal. 78.

PSALMVS CXXVI.

Metum librantes] Variè affecti, alternis iam spe, iam metu, animum subeuntibus.

PSALMVS CXXVIII.

Plantaria] Plantarium Virgilio planta aut stirps est quælibet, quæ in terram depangitur. Plinio etiam seminarium est, nouellis arbuscu-lis consitum, vnde plantæ nouellæ aliò transfe-runtur.

Pubescunt] Germinant, adolescunt. Virgil. 2. Georg. *Largo pubescit vinea fœtu.*

PSALMVS CXXIX.

Vlcis] Vide Psal. XXXVIII.

Hostis ad fastidium] Insignis amplificatio supplicii, cuius etiam hostem, aliàs infestum & crudelem, capiat fastidium. Id enim graue & diuturnum esse necesse est. Vide Psal. CV.

Neruo seruitutis] Vinculis, carcere. Terent. *in neruum potius ibit*, id est, in vincula.

PSALMVS CXXX.

Non furiis tristis es asperis] Non furenter irasceris.

Noxis eximet] Liberabit à peccato & omni malo.

PSALMVS CXXXI.

Sublime vectus] Pro sublimiter. Adiectiuum neutrum pro aduerbio, more Græco. Virgil.

Rapta spirans immane securi, id est, immanitet
Talia sunt: *longùm lætari, acerba fremere, inexple*
tum lacrymari, indomitum furere, toruum videre
Vide similia Psalmo XI.

PSALMVS CXXXIII.

INebrians vligine] Insignis metaph. Sicuti enim
haustu vini largiore corpus humectatur, & ho
mo inebriatur: ita imbrium humore terra irri
gatur & fœcundatur. Est autem vligo propriè na
turalis terræ humor, ex ea nunquam recedens.

Hermonis intonsi] Cuius virgulta vere nouo
frondentia nondum sunt amputata. Hoc enim
est montes & arbores, quarum folia & frond
poëtis comæ sunt, tondere. Horat. *Duris vt ile*
tonsa bipennibus. E conuerso dixit Virg. *Ipse capi*
tonsæ folijs euinctus oliuæ. Vide Psal. XC.

PSALMVS CXXXV.

P*Riuam*] Priuum est, quod vniuscuiusque pro
prium & peculiare est. Horat. *Conducto nauig*
æquè Nauseat ac locuples, quē ducit priua triremis

Septemflua flumina Nili] Quia Nilus septe
ostiis celeberrimis in mare Ægyptium influ
Quorum nomina vide apud Melam.

Amorrhæis] Qui sic dicti sunt ab Amorrha
filio Chanaan, & vltra ac cis Iordanē longè late
habitârunt, antequam ab Israëlitis eiicerentur.

Seon] Rex Amorrhæorum, quem, cùm Israël
tis iter intercluderet, interfecit Moses, & regio
eius occupatam Rubenitis & Gaditis assignau

PSA

PSALMVS CXXXVII.

Vertite fundamentis] Verſus Spondaicus, habens in quinta regione ſpondæum.

PSALMVS CXXXVIII.

Qvod ſupereſt, ſi quid ſupereſt] Elegans ἐπανόρθωσις. Qualis illa Ciceroniana, *Quid ſit, quòd à me remouit, ſi modò remouit, ignoro.* aut etiam illa Horatiana:

Quod ſpiro & placeo, ſi placeo, tuum eſt.

PSALMVS CXXXIX.

Momenta] Momentum à moueo, eſt minimum temporis ſpacium, à nictu oculi Germanis dictum, ein augenblick. Vult enim dicere, nullam vel minimam vitæ ſuæ partem Deo incompertam eſſe. Momentum quoq; in lancibus libræ, iam in hanc, iam in illam partem vergentium, notum eſt. Græcis ῥοπή.

PSALMVS CXL.

Lingua loquacis perfida vanitas] Pro hominibus garrulis, perfidis & vanis. Sicuti pſalmo 1. *Impietas* pro hominibus impiis.

PSALMVS CXLI.

Odore thureo] Qui ex thure exhalat. Virg.

Solis eſt thurea virga Sabæis.

Libamine] Pro libatione religioſa, quam Græci σπονδὴν vocant.

Palpet] Palpo, palpas, vel palpor, palparis, palpari, deponens, i. e. blandè, leniter & quaſi tentando prenſare, demulcere vel tangere. Accipitur

ferè pro adulari. nam is assentatorum gestus est. Hinc apud Plautum & alios sunt nomina *palpo onis, palpator* & *palpatio*, pro adulatore & adulatione. Iuuenal. *Quem munere palpat.*

Salubriter] Aduerbium à Liuio vsurpatum. quo salubriùs & saluberrimè.

PSALMVS CXLII.

D*Vm sedes hominum colo*] Id est, dum viuo & habito inter homines.

PSALMVS CXLIII.

L*Vcis exsors*] Tenebricosus, aut tenebris inclusus. Vide Psal. 91.

Cane torrido] Sirio. de quo plura vide Psal. 1.

PSALMVS CXLIIII.

I*Aculis sequacibus*] τὸ ἄψυχον more poëtico eleganter facit ἔμψυχον. Sequax dicitur quod strenuè & cupidè insequitur. Tribuitur hoc epitheton à poëtis passim capreis, oculis, fluctibus, item curris, quæ nullis profectionib⁹, nauigationibus aut armis arceri possunt, quin insequantur. Lucr. 2.

Reuera'q; metus hominum, curæq; sequaces,
Nec metuunt sonitus armorum, nec fera tela.

Ita hîc iaculum sequax est, quod sequi non desinit antequam vulneret, quasi siti quadam sanguinis humani, & cupiditate nocendi teneatur, vt Homerus quoq; de huiusmodi sagittis loqui solet.

Laquearibus) Laquearia & lacunaria partes sunt ædium seu conclauium, oppositę pauimen-

to,

[illegible]o, quod pedibus teritur. Quia autem partes illæ [illegible]onclauium ſuperiores ſtudioſè exornari à ma-[illegible]nificis ſolent, *tecta laqueata* ſunt Horatio do-[illegible]mus principum & magnatum ſplendidæ, quas [illegible]rcum curas & ſolicitudines volitare aſſerit. Eo-[illegible]emq; modo Cicero vocat *porticum pauimenta-[illegible]um:* Sicuti enim pauimentum decus eſt eius [illegible]artis cubiculi, quod pedibus teritur; ita lacunar [illegible]rnat eam, quæ ſupra caput eſt, partem. quam [illegible]ocem etiam nonnulli ad cælum ſtellis diſtin-[illegible]um eleganter tranſtulerunt, pro cælo dicentes [illegible]quearia cæli.

Aureis] Id eſt, pulcris, precioſis. Quæ enim [illegible]ræ aliis pulcra & precioſa ſunt, poëtis aurea di-[illegible]untur, vt: *Venus aurea, lumen aureum, liber au-[illegible]eus, Auro magis aurea virtus.*

Tholus] Propriè concamerationis aut fornicis [illegible]nedium, ſeu vmbilicus, in quem laterum aut [illegible]rabium capita coëunt, cui antiquitus vouen-[illegible]ium anathemata, ſeu donaria votiua affigeban-[illegible]ur. Virg. 9.

---Si qua ipſe meis venatibus auxi,
Suſpendive tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.

PSALMVS CXLV.

C*Ontagium*] Contagium, ii; contagio, onis, & contages, is, accipiuntur pro morbo, aut re [illegible]liqua vitioſa, quæ contactu nocet, & veneno ſuo [illegible]tos inficit. Lucret.

Quæ contage ſua palloribus omnia pingunt.

Ferarum sæcula] Vide Psal. 77.

Opisq; compotes] Ope videlicet impetrata, au cùm votorum suorum facti sunt compotes.

Qui pectore cunq;] Pro, quicunque pectore, pe Tmesin.

PSALMVS CXLVI.

E*Surie*] Pro fame. Apud Catullum est esuritio apud Varronem esurigo, eâdem significatio ne: ab edo.

PSALMVS CXLVII.

F*Ractos animi*] Id est, animo fractos, seu pusilla nimes. poëticè. Eodem modo, *egregius*, *præ stans*, *lapsus*, *victus*, & alia similia, cum voce *ani mi* passim à poëtis coniunguntur. Et paulò pòst hoc ipso psalmo dicit, *simplex animi*.

Ahenis] Vocabulum poëticum, diuersimodè pro ratione carminis, vsurpatum. In soluta oratione dicimus æneus. hinc poëtæ, diphthonge per dialysin & aspirationis epenthesin, diuisa, di xerunt aheneus. Horat.

--- Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

Ex hac voce producta alii item, per συνίζησιν, fecere contractam, exemta è penultima litera E, & dixerunt *Ahenus*. Proper. *formæ celator ahenæ*, pro, æneæ, vel æreæ. Eodem modo pro eburneus dixere *eburnus*.

Et glacie frenat] Insignis metaphora. Glacies enim cursum fluminũ sistit, eaq; ripis suis quasi alligat

illigat & adstringit, vt freno equi cursus sistitur, quod hoc loco est frenare lapsus aquarum. Glacie verò liquefacta & soluta, *mox decrescentia ripas Flumina prætereunt*, vt canit Horat. 4. od.

PSALMVS CXLVIII.

R*Otatiles*] Vox à poëta, vt videtur, nouata. Est autem rotatile, quod rotę instar in orbem potest circumagi, quales sunt circuli illi cælestes de quibus hîc loquitur.

Vasta cete] Vide Psal. 104.

Repostos] Pro, repositos. Virg. *Manet alta mente repostum.* Et *impostor* quasi impositor, qui fraudulenter aliis imponit. Vide Psal. 46.

PSALMVS CXLIX.

F*Iliæ Sionis*] Id est, virgines & matronæ Hierosolymitanæ. Sicuti Horat. od. 3. lib. 4.

Romæ principis vrbium
Dignatur soboles, inter amabiles
Vatum ponere me choros.

Vbi per sobolem Romæ intelligit adolescentes & ciues Romanos, ex vrbe Roma, tanquam ex matre oriundos.

Pectini] Pecten hoc loco idem est cum plectro, de quo supra, Psal. 30. Virgil. *Iam pectine pulsat eburno.* Aliud instrumentum musicum est πηκτὶς seu pectis, de quo sicuti etiam de aliis eius generis vide Nomenclatorem Hadriani Iunii.

PSALMVS CL.

NAblijs] Vide Psal. 33.

Cymbali] De hoc, Psal. 68.

Sonore] Pro sonitu, more Lucretii & Virgilii, quorum ille in primo:

Lepido quæ sunt fucata sonore.

Idem canor, pro cantu, dixit in quarto:

Paruus vt est cycni melior canor, ille gruum quàm
Clamor in æthereis dispersus nubibus austri.

Hæc quam breuissimè in Psalterii huius voces obscuriores annotasse sufficiat. Reliqua, quæ in eo latent Christianæ pietatis documenta & mysteria, aliis ex professo hoc agentibus relinquimus explananda.


Πάντοτε δόξα Θεῷ.

NATHAN CHYTRÆVS
Lectori S.


HActenus explicui pueris minùs obuia verba,
Dicendi & raros difficilesq; modos.
Tu postquam mentemq; tenes linguamq; poëtæ,
Nunc quoq; cum socijs si libet, illa cane.

Genus


Genus dicolon distrophon : Versus I. Dactylicus heptameter acatalect. II. Archilochius constans ex Penthemimeri iambica & tribus trochæis. Horat. lib. 1 od. 4.



Soluitur acris hyems grata vice veris &




Fauonî, Trahuntq; siccas machinæ carinas.




Soluitur acris hyems grata vice veris &




Fauonî, Trahuntq; siccas machinæ carinas.



Soluitur acris hyems grata vice veris &



Fauonî, Trahuntq; siccas machinæ carinas.




Soluitur acris hyems grata vice veris &




Fauonî, Trahuntq; siccas machinæ carinas.

Genus dicolon distrophon. Versus I. Trochaicus dimeter catalecticus : II. Iambicus trimeter catalecticus. Horat. lib. 2. od. 18.


Dis.


Alt.

Te.

Bas.

Genus



Genus dicolon triſtrophon. Verſus I. & II. Ionici à minore, Sapphici trimetri acatalecti. III. Ionicus à minore ſapphicus acatalectus tetrameter. Horat. lib. 3. od. 12.

Diſcantus.



Miſerarum eſt neq; amori dare ludum,

Altus.



Miſerarum eſt neq; amori dare ludum,

Tenor,



Miſerarum eſt neq; amori dare ludum,

Baſſus.




Miſerarum eſt neq; amori dare ludum,

Discantus.



Neq; dulci mala vino lauere aut ex-




Animari metuentes patruæ verbera linguæ.

Altus.




Neq; dulci mala vino lauere aut ex-




Animari metuentes patruæ verbera linguæ.

Tenor.



Neq; dulci mala vino lauere aut ex-




Animari metuentes patruæ verbera linguæ.

Bassus.



Neq; dulci mala vino lauere aut ex-




Animari metuentes patruæ verbera linguæ.


Genus

Genus dicolon diſtrophon. Verſus I. Iambicus trimeter acatalect. II. Sapphicus, conſtans penthemimeri heroica, & dimetro iambico. Horat. Epod. 11.

Diſ.




Pecti, nihil me, ſicut antea, iuuat



Scribere verſiculos, amore perculſum graui.

Alt.



Pecti, nihil me, ſicut antea, iuuat



Scribere verſiculos, amore perculſum graui.

Te.



Pecti, nihil me, ſicut antea, iuuat




Scribere verſiculos, amore perculſum graui.

Baſ.



Pecti, nihil me, ſicut antea, iuuat



Scribere verſiculos, amore perculſum graui.

Genus dicolon distrophon. Versus I. Heroicus: II. Archilochius, constans ex iambico dimetro acatalect. & penthemimeri heroica. Horat. Epod. 13.

Dis.

Horrida tempestas cælũ contraxit & imbres,

Niuesq; deducunt Iouem: nunc mare nunc syluæ.

Alt.

Horrida tempestas cælũ contraxit & imbres,

Niuesq; deducunt Iouem: nunc mare nunc syluæ.

Te.

Horrida tempestas cælũ contraxit & imbres,

Niuesq; deducunt Iouem: nunc mare nunc syluæ.


Bas.

Horrida tempestas cælũ contraxit & imbres,


Niuesq; deducunt Iouem: nunc mare nunc syluæ.

Genus


enus dicolon distrophon. Versus I. Choriambicus dimeter acatalectus. II. Choriambicus tetrameter acatalect. ex epitrito secundo, choriambis duobus, & amphibrachy. Horat. libr. 1. od. 8.




Lydia dic, per omnes



Te Deos oro, Sybarim cur properes amando



Lydia dic, per omnes




Te Deos oro, Sybarim cur properes amando




Lydia dic, per omnes



Te Deos oro, Sybarim cur properes amando




Lydia dic, per omnes




Te Deos oro, Sybarim cur properes amando

Genus monocolon : omnes verſus ſunt choriambici pentametri acatalecti. Horatius lib. 1. od. 11. & 18. & lib. 4. od. 10.


Diſcantus.



Tu ne quæſieris ſcire (nefas) quem mihi, quem tibi




Finem Dij dederint Leuconoë: nec Babylonios



Tentâris numeros, vt meliùs quicquid erit pati.


Altus.



Tu ne quæſieris ſcire (nefas) quem mihi, quem tibi



Finem Dij dederint Leuconoë: nec Babylonios




Tentâris numeros, vt meliùs quicquid erit pati.


Tenor.




Tenor.



Tu ne quæsieris scire (nefas) quem mihi, quem tibi




Finem Dij dederint Leuconoë: nec Babylonios




Tentâris numeros, vt meliùs quicquid erit pati.

Bassus.



Tu ne quæsieris scire (nefas) quem mihi quem tibi



Finem Dij dederint Leuconoë: nec Babylonios



Tentâris numeros, vt meliùs quicquid erit pati.

GENVS PHALÆCIVM, SIVE Hendecaſyllabum.

Diſ.




Si vitare velis acerba quædam,



Et triſtes animi cauere morſus:



Nulli te facias nimis ſodalem.




Gaudebis minùs, & minùs dolebis.

Alt.



Si vitare velis acerba quædam,



Et triſtes animi cauere morſus:



Nulli te facias nimis ſodalem.



Gaudebis minùs, & minùs dolebis.



Te.

Si vitare velis acerba quædam,

Et tristes animi cauere morsus:

Nulli te facias nimis sodalem.

Gaudebis minùs & minùs dolebis.

Bas.

Si vitare velis acerba quædam,


Et tristes animi cauere morsus:

Nulli te facias nimis sodalem.

Gaudebis minùs & minùs dolebis.

Alia melodia generis Phalæcii.

Dis.




Si vitare velis acerba quædam,




Et tristes animi cauere morsus:

Alt.




Si vitare velis acerba quædam,




Et tristes animi cauere morsus:

Te.



Si vitare velis acerba quædam,



Et tristes animi cauere morsus:

Bas.



Si vitare velis acerba quædam,



Et tristes animi cauere morsus:
Nulli te facias nimis sodalem.
Gaudebis minùs, & minùs dolebis.

FINIS.



